



**III**  
**6** **E - 47**







PAP.

6/440 1/10179

Iustitia Domini manet in aeternum.

# LEXICON IURIS CIVILIS, ADVERSVS quosdam insignes ACCVRSII errores æditum,

ANTONIO NEBRISSENSI  
*uiro undecunque doctissimo autore.*



Ex dicitur oratione & Hugo Regius in 2. de cœl.



L V G D V N I,

Sub scuto Coloniensi, Apud Ioannem &  
Franciscum Frellæos, fratres.

M. D. XXXVII.

102711 POOKI  
739741 8117  
1127474 AGENCIA DE INVESTIGACIONES  
ESTADISTICAS

ESTADISTICO NACIONAL  
ESTADISTICA DE LA Población



ESTADISTICO NACIONAL  
ESTADISTICA DE LA Población  
ESTADISTICO NACIONAL

1999 , d . m

# Sanctissimi Iuris

## CIVILIS LEXICON, AB ANTONIO NEBRISSENSI *uiro undecunque doctissimo, aduersus quosdam insignes ACCVRSII errores, ordine alphabe tico æditum.*

### A



B A X, is, siue abacus i, tabula est, in qua  
escaria & potoria uasa collocantur,  
que sunt mensæ ministerio parata. Illa=  
uenal. Lectus erat Codro Procula mi=  
nor: urceoli sex, Ornamentum abaci.  
Ausonius: Fictilibus fama est cœnasse Agathoclea regē,  
Atque abacos Samio saepe onerasse luto. Cicero 5. Thu=  
scu. quæst. Abacus complures ornauit auro & argento  
cælato. Idem in Verrem: Abaci uasa omnia ut exposita  
fuerant sustulit. Sed abacus , id est, ab eo quod est aba=  
cos Græcè, est inclinatum, quod teste Prisciano libr. 7. de  
octo partibus orationis penultimam genitiui breuiauit,  
quod significat præterea uasa quædam uiliora in quibus  
pretiosiora reponuntur. at aifor Pœni uocant . de quibus  
Paulus Iurisconsultus lib. 32. dig. qui est de legatis tertius.  
1. Hæres. Cui Corinthia, inquit, uasa legata essent, & aba=  
ces, huic quoque eorum uasorum collocandorum causa.

A 2

paratos uideri Trebatius respondit. Pro quo in codicibus recentioribus mendoſe baces, a litera diſtincta legitur. Accursius non ratione aliqua, ſed ueri ſimilitudine ductus, capſulas eſſe interpretatur baces. Quod cum fit nihil uerbum, interpretamentum quoque erit inane. Philippus Beroaldus quodam in loco ſuarum commētationum, bases legit uocem uulgi ſequutus. Sed de hoc lege uerbum, Corinthia uafa.

A B A C T O R E S ab oratoribus & historicis appellantur, quos Iurisconsulti uocant abigeos. Ductum utrumque nomen à uerbo abigo is, quod inter alios ſenſus ſignificat etiam à grege ſiue armento pecudem furto subducere: hinc abactores & abigei dicti huiusmodi fu- res. Quod genus hominum in Hispania maxime inueni- tur, dicente Virgil. in 3. Georg. Aut impacatos à tergo horribis Iberos. Quod Seruius interpretatur, abactores. & ſubdit: nam omnes ferè Hispani qui ijdem ſunt & Ibe- ri, acerrimi abactores ſunt. Apuleius 7. de aſino aureo: Abactorem indubitatum cruentumq; percuſſorem cri- minantes. Ambroſius in ſermone de hoſtibus carnalibus non metuendis: Armenta diripiet, iſtud damnum abacto- rem tolerando iam didicit. Sed quemadmodum diximus, à Iurifcōfultis potius abigei dicūtur, de quibus tit. eſt lib. 47. dig. In cuius prima lege Vlpi. his uerbis ſcribit: Qui pecora ex paſciuis uel armentis abigunt, hi proprie dicun- tur abigei. Quod ſi quis oues aberrantes aut alias qua- drupedes abduxerit, non erit reus crimine abigeatus, ſed potius furti. Eſt enim abigeatus iſpum abigei crimen, quod in Hispania grauius quam alibi gentium debere pu- niri

niri Hadrianus Cæsar consuli rescripsit: Abigei, inquit, cum duriſſime puniuntur, ad gladium damnari solent. Puniuntur autē duriſſime nō ubiq; sed ubiunq; frequētius est id genus maleficij. Atqui diximus ex autoritate Virgilij & Seruij Hispanos maxime hoc crimine laborare.

ABROGARE legem, idem est quod tollere siue antiquare, quia à magistratu qui eam potestatem habet, populo interrogato, an uelit iubeatq; eam legem tolli, illo annuente, antiquatur tolliturq; quemadmodum eodem populo interrogato fuerat promulgata: unde & lex plerunque dicitur rogatio. Cice. lib. 2. de legibus: Eas, inquit, tu leges rogabis, quæ nunquam abrogentur. Lilius libr. 22. Plebiscitum primus ego antiquo abrogoq;. Est itaque abrogare legem idem propè quod derogare. Iurisconsultus tamen de uerborum significatione inter utrumque uerbum non nihil distare facit. Derogatur, inquit, legi, cum pars detrahitur: abrogatur, quum prorsus tollitur. Adde tu quod abrogatur, quum prioris legis infirmandæ causa promulgatur altera. Sermonis Latini ignari uulgari uoce decepti, pro eo quod esse debet abrogare siue derogare legem, ipsi reuocare dicunt, quum sit reuocare, ut autor est Varro de lingua Latina, rursus in cor uocare, hoc est renouare. Iuuenalis de Domitiano, qui legem Iuliam iam obliteratam dormiētemq; excitauerat, sic inquit: Qui tunc leges reuocarat amaras Omnibus, atque ipsi Veneri Marti q; timendas. Virgilius primo Aeneid. Reuocato à sanguine Teucri. id est, renouato, quippe qui iam propemodum extinctus erat.

ACINACIVM uinum est quod ex uuarū folliculis

aqua addita diffunditur. Græci deuterion, id est, secundarium: Latini, tum loram, tum loream appellat. Varro in primo de re rustica: Acinorum, inquit, folliculi in dolia coniunctur, eoq; aqua additur, eaq; uocatur lora, quod lota acina, ac pro uino datur operarijs hyeme. Nonius quoque Marcellus: Loram, inquit, dicebant in uindemia cum expressissent mustum ex acinis, & folliculos in dolium cōieciſſent. Plinius. lib. 30. Quæ Græci deuteria appellant, Cato & nos loream. Scripsit autem id Cato in libro de rustica, dicens: Lorea erit familie quod bibat. Vlpianus libr. 33. dig. titu. de uino & tritico legat. l. Si quis. Vinum, inquit, acinacium planè uino continebitur. Accursius acinaticiū pro acinacio legit: interpretaturq; esse uinum ad usum comparatum. Quid uero per tale uinum ipſe intelligat, ego non uideo. Nam si uinum quod est ad usum comparatum, uinum est, quid ineptius dici potest, quam appellatione uini uinum contineri? Atqui iurisconsultus aliud prospiciebat, quod poterat in dubitationem uenire, an scilicet lora siue lorea, hoc est, uinum illud secundarium quod ex uuarum acinis expresso musto atque addita aqua maceratis conficitur, appellatione uini contineatur, quum præsertim maior pars aque sit in eo permixta.

ACAPNA ligna dicuntur quæ sunt in furno, aut ad solem exiccata, ita ut cum focis admoueantur, non fumigent, dicta ab a particula priuatiua, & capnos quod interpretatur fumus, quasi sine fumo. Apud Martialem in distichis, lemma est ligna acapna: & Srraboni lib. 9. mellis quoddam genus acapniston appellatur: quod ita purga

# IVRIS CIVILIS.

pugatum sit, ut non sapiat fumum. Vlpianus libr. 32. dig. qui est de legatis tertius. l. ligni. Sed et titiones, inquit Iurisconsultus, et alia ligna cocta ne fumum faciant: aca pna uolens significare.

**A C O N I T U M**, ueneni genus quoddam est celebra= tissimum, dictum ab acone quod interpretatur cos, quo= niam ut inquit Ouidius ea herba ex cotibus colligitur: ait nanque libro septimo Metamorph. Quæ quia nascun= tur dura uiuacia caute, Agrestes aconita uocant. Idem li= bro primo: Lurida terribiles miscent aconita nouercæ. Iuuinalis: Sed null's aconita bibūtur Fictilibus. A Græ= cis quoque pardalianches dicitur, id est, pardi anima= lis strangulator. Sed quod ferè ignoratur quæ sit ea her= ba aconitū uulgò pro quocunq; ueneno accipitur. Mar= cellus libro 48. dig. tit. ad legē Corn. de sicarijs et uene= ficijs. l. eiusdē. Si quis, inquit, temere cicutā et salamandrā et aconitū, pityocampas et buprestin dederit et c.

**A D P R A E P O S I T I O** composita cum dictioni= bus à consonante incipientibus, mutat d in consonantem quæ sequitur, id quod omnes qui de orthographia scri= bunt, annotauere, ut accurro, quod ex ad et curro componitur: affigo ex ad et fligo. In Pandectis ta= men quas Florentini ex præda pilana in archiuo adser= uant, semper reperiuntur prepositiones integræ, quod et antiquos obseruasse ex numismatis et monumen= tis literarum marmoribus incisis etiam hodie uidemus. Itaq; in codicibus illis archetypis non legitur ex ortho= graphorum ratione, accresco, afferro, affinis, agnatus, appono, arrogo, asscribo, assentio, assideo, assiduus,

astringo, & huiusmodi, sed adcreSCO, adfero, adfinis, adnatus, adpono, adrogo, adscribo, adsideo, adsiduus, adstringo, hoc est, ad, præpositione integra. Hæc namq; omnia & similia (tametsi nō mutat sensum) retinēda est tamē antiquorū libroruū maiestas, in libris maxime legum, qui quo sunt uetustiores, eo habentur maioris autoritatis. Nam si quis per regulas artis grammaticæ conaretur talia castigare, non minus peccaret, quam si pro repetundarum, & finium regundorum, & de familia herciscunda, & de communi diuidendo contenderet, scribendum esse repetendarum, & finium regendorum, & familia herciscenda, & commune diuidendum, quod regulæ que traduntur à Grammaticis de formatione uerborum id fieri debere præcipiant. Apud antiquos namq; gerūdia & participia futuri in dus, à uerbis tertiae & quartæ coniugationis inclinata, in undus non in endus desinebant. Plautus in ipso statim initio Amphitronis: Ut uos in uostris uoltis mercimonijs emundis uendundisq; pro emendis & uendendis. Permansit tamen hæc declinādi forma in hoc uerbo Eo is, & ab eo compositis, ut eundi eundo eundū, adeundus a, um, prætereundus a, um. Dicimus quoque hodie præesse quempiam iuridicundo potius, quam præesse iuri dicendo.

AD D I C O is, xi, pro eo quod est adiudico simpliciter accipitur, ut Cicer. in offi. addictus morti dixit, pro adiudicatus. Et Horatius in 1. epist. Nullius addictus iurare in uerba magistri. Aliquando etiam inuenitur pro eo quod est uendo, ut apud Martialem: Addixti Labiena treis agellos. pro addixisti, hoc est uendidisti. Gellius quoq;

quoq; lib. 10. Liberos uerberari addiciq; iusserunt ei, cui  
furtum est. Et est unū de uerbis tribus quæ Prætori ac=  
commendantur, de quibus intellexit Ouidius in 1. Fast.  
scribens: Ille nefastus erit per quem tria uerba silentur.  
Fastus erit per quem iure licebit agi. Erit igitur tūc ad=  
dicere ex uenditione aliquid alicui adiudicare. Apud Iu=  
risconsultos lib. 18. dig. titu. est, de in diem adiectione:  
pro eo quod esse debuit de die in diem addictione: quem  
errorem primus omnium deprehendit agnouitq; Lau=  
rentius Valla. Verbum quoque ipsum nihilominus cor=  
ruptum cum alijs in locis, tum in eodem titulo legitur,  
adijcio uidelicet pro addico: ut in l. Vlpiani, cuius initiū  
est Quoties: Quoties, inquit, fundus in diem adiicitur.  
Et ibidem. Si res in diem adiecta sit. pro addicitur, &  
adiecta sit: quod in emendatioribus libris reperias. Item  
lib. 40. dig. tit. de fideicommiss. li. saepe legitur adijcio &  
adiectio in eadem significatione, sed corruptè, pro addi=  
co & addictio.

A D R O G A R E & adrogatio, adoptare & adopta=  
tio siue adoptio differunt, autore Gellio lib. 5. noct. Att.  
ubi ex aequo distinguit adrogationem ab adoptione, nec  
alteram sub altera cadere putat. Eius uerba sunt: Cum in  
alienam familiam inq; liberorum locum extranei sumun=   
tur, aut per Prætorem id fit, aut per populum. Quod per  
Prætorem fit, adoptio dicitur: quod per populum, adro=   
gatio. Adoptantur autem cum à parente in cuius pote=   
state sunt, tertia mancipazione in iure ceduntur, atq; ab  
eo qui adoptat, apud eum, apud quē legis actio est, uin=   
dicantur. Adrogantur autem ij qui cum sui iuris sint, in

alienam sese potestatem tradunt, eiusq; rei ipsi autores fuent. Et subdit: Adrogari non potest nisi iam uesticeps, id est, cum ad annum duodeuigesimū peruerterit. Adrogatio autē dicta, quia genus hoc in alienam familiā transitus per populi rogationē fit. Eius rogationis uerba hæc sunt. Velix iubeatis Quirites, uti L. Valerius, L. Titio tam lege iureq; filius sibi fiat, quām si ex eo patre matrēq; familiās eius natus esset, utq; ei uitæ necisq; in eum potestas siet, uti pariēdo filio est. Hæc ita uti dixi, ita uos Quirites rogo. Modestinus lib. 1. dig. tit. de adoptione. l. 1. adrogationem ab adoptione eo differre putat, quo species distat à suo genere. Adoptionis, inquit, nomen generale est. In duas autem species diuiditur: quarum altera adoptio similiter dicitur, altera adrogatio. quasi uelit dicere, adoptio duas habet species, quarum altera nomine caret, & ex doctrina Aristotelis, nomine generis appellatur, altera uero est adrogatio. Accursius adrogationē dicit appellari, non quod populus rogaretur, ut scribit Gellius, sed quod adoptator interrogatur, an uelit eum quem adoptat, sibi iustum filium esse: ex eo fortasse deceptus, quod legerat libro primo institutionum, tit. de adoptionibus, adrogationem fieri solitam Imperatoris autoritate, quia lege regia populus ei & in eū omne imperiū suum & potestatem cōcessit. Quod si ita est, nō adoptator sed imperator, qui in locum populi successit, in huiusmodi adrogationibus faciendis rogandus est.

ADULTERINA res dicitur, quæ non est legitima, sed supposititia, unde filij adulterini dicti, ex adulterio concepti. Hinc adulterinæ literæ apud Apuleium lib. 4.  
de asino

de asino aureo, & adulterina clavis apud Sallustium: & adulterina signa uocat Festus Pomp. que sunt alienis annulis facta. Ipse quoq; annulus quo signa imprimuntur, adulterinus dici potest, ut lib. 4 s. dig. tit. ad legē Corneliam de falsis legib. l. Cornel. ubi Modestinus ait: Qui signum adulterinum fecerit, uel exculpserit. Aphricanus quoque in eodem titulo. l. si quis. Quòd si testamentum, inquit, adulterinum non esset. In eodem quoq; quadragesimo octavo libro, titulo ad legem peculatus. l. sacrilegij. Vlpianus ait: Non uidentur adulterinam monetam exercuisse.

A E D I C U L A pro parua æde, hoc est, templo paruo accipitur. Nam ædes, is, in numero singulari semper accipitur pro templo: unde semper adiungitur illi cui deo sacrata est atque dedicata, ut ædes Iouis, ædes Castoris, ædes Concordiae. Dicitur quoque ædes sacra. Aedes, ium, in numero multitudinis significat domum priuatam, caretq; numero singulari. Ab æde igitur sacra, fit ædicula pro alicuius dei templo paruo: ut Plinius lib. 35. Supra ædiculam, inquit, iuuentutis: hoc est, deæ præsidis iuuætæ etatis. Iurisconsultus libro 48. dig. tit. ad legem Iuliam peculatus. l. sacrilegij. Qui ædicularas, inquit, incustoditas tentauerit. Quòd si ædicularæ non essent sacræ, tentare illas non esset sacrilegium, atq; ex consequenti ad legem peculatus non pertineret crimen.

A E S T I M O , as, pro eo quod est taxare accipiatur, uerbum freques in iure, scribiturq; per æ, diphthongum, quod ab ære & time quod est pretium componitur. Sic quoque in archetypis illis Florentinorum Pandectis

semper scriptum reperitur: neque scribendum extimo as,  
id quod in libris recentioribus legitur. Hinc est apud an-  
tiquos pœna æstimata, ab ære, inquit Festus, quia æstima-  
uerūt eam ouem decusse, id est, decem assibus: bouem cen-  
tusse, id est, centū assibus. Hinc rursus fit æstimatio, æsti-  
mator, & æstimatorius. ut Vlpianus libro 19. dig. tit. de  
æstimatoria actione.

**A G N V S** pro fœtu ouis, dictio Græca est, significatq;  
purum siue castum: dictusq; est agnus quod ea sit hostia  
pura & immaculata. Varro tamen de lingua Latina,  
agnum putat ab eo dictum, quod sit pecori agnatus.  
Paulus libro trigesimo secundo digestorum, qui est de le-  
gatis tertius. l. cum queritur. Agni, inquit, legati quate-  
nus uiderentur, quidam aiebat tantum sex mensium esse.  
Sed uerum est eos legatos qui minores essent anniculis.  
Hinc pelles agninae dictæ, ut apud Vlpianum lib. 33. dige-  
storum, de auro & argento legato. l. uestis. Pelles, inquit,  
caprinæ & agninae.

**A G R I P P I N E N S I S** Colonia ciuitas est Germaniæ  
inferioris siue Galliæ Belgicæ. autor Ptolemaeus. Tē  
pestate quoq; nostra Colonia appellatur, de qua Paulus  
lib. ultmo dig. tit. de censib. l. iuris Italicis sunt, in Germa-  
nia inferiori Agrippinensis Colonia.

**A G O N O T H E T A** interpretatur certaminis dispo-  
sitor: & est qui certantibus proponit præmiū quod de-  
tur uictori. Hiero. pri. in Iouinianū lib. Proponit agonothetes  
præmiū, inuitat ad cursum. Idē ad Luciniū Bæticū:  
Nō est inuidus agonotheta noster, nec alteri palmā, alte-  
ri parat ignominiam. Modestinus lib. s. o. dig. de pollic. l.  
Septitia.

Septitia. Agonē inquit, cōstituo trietericū. et sequitur: agonotheta existēte ac præsidēte uiro meo. Accur. agone ta legit, nō minus falso interpretamento quàm lectione.

A L B V M, tabula erat in qua iudicū nomina scribeban tur, quod leucoma Græcis dicitur, ut est apud Iuliū Pollu cem. Pli. in procœmio Nat. hist. Quid te iudicē facis? cum hanc operā condicerē, non eras in hoc albo. Suetonius in Claudio Cæsare: Iudicū inquit, albo erasit. Idē in Domi tiano. Equitem Romanum erasit iudicū albo. Seneca lib. 5. epist. Turpes infamesq; etiam ad album sedentibus exceptiones. Vlpianus lib. 4. ad edictū: cuius uerba trans scribuntur in secundum librum digest. titu. de edendo. l. prima. Eum inquit, edere Labeo ait, qui producat aduer sarium suum ad album, et demonstret quid dicturus est. Sic enim in Pandectis Florentinorū prototypis legi tur, nō ad alium. Quo in loco Accurs. multa hæsitatione seipsum atq; alios torquet. Deprehendit hunc errorē pri mus omniū atq; monstrauit Angelus Politianus, cui saepe data fuit copia inspiciendi libros illos.

A L G I D V M, oppidum erat trans montes Tuscula nos, quindecim millibus passuum ab urbe Roma: nunc urbis tantum uestigia extant. Horat. primo carminum: Quæcunque aut gelido prominet Algido. Pomponius de origine iuris. l. necessariū. Virgineus, inquit, recens à cæ de, madensq; adhuc filiæ cruore, ad cōmilitones confugit, qui uniuersi de Algido monte, ubi tunc belli gerendi cau sa legiones erāt, relicis ducibus protinus signa in Auen tinum montem trāstulerūt. Atqui Algidum, ut diximus, oppidum fuit, in cuius agro eo tempore Romanorum

*exercitus ab equis cæsus fuerat. Neque ab Algido, sed Auecilio monte tunc exercitus Romam uenit, ut autor est Liuius libro tertio.*

**A L L E G O** allegis, penultima breui, pro eo quod est cooptare, hoc est, in collegium adsciscere: componiturq; ex ad e<sup>r</sup> lego, gis. Vlpianus lib. 50. dig. tit. de decurionibus. l. generaliter. Allegi, inquit, id est, per electionem in ordinem assumi. Allego, gas, quod est compositum ex ad e<sup>r</sup> lego, gas, penultima longa, est ad aliquem locum mittere. Vnde iuris professores consuerunt allegare leges, id est, citare testes ad id de quo disputant comprobandum, sed non sine barbarismi uitio, quod pro allégo penultima longa, proferunt allego penultima breui.

**A L V E V S**, fluminis est uallis, siue fossa, siue conceptaculum, e<sup>r</sup> locus per quem fluuius labitur, dum intra ripas notas currit, nam cum euagatur alueum transcedit. Pomponius Mela: Ora, inquit, Asia cum alueo Nili amnis descendit in pelagus. In hac significatione accipitur in iure, cum sepe alias, tum lib. 41. tit. de rerum dominio. l. ideo, que est Caij. Quòd si in toto, inquit, alueo naturali flumen alias fluere cœpit, prior quidem alueus eorum est, qui prope ripam prædia possident, e<sup>r</sup> ibidem sepe. Alias alueus est apium receptaculum: ut in eodem tit. l. naturalem. Antea quām apes, inquit, in alueo à nobis concludantur.

**A M E I T V S** ab ambitione distat, quod ambitus in actu est, ambitio uero in animo est habitu: ambitione nanque peccat, qui præter modū cupit honores, qui ambitiosus

bitiosus dicitur. Ambitum uero committit, qui largitio-  
nibus magistratum consequitur, quæ in rebus sacris sy-  
monia in religione Christiana uocatur: dictus ambitus,  
ut inquit Festus, ab ambitu ædificiorum, qui patet in la-  
titudinem pedes duos, & semissem, in longitudinem idem  
quod ædificium. lib. 48. dig. titu. est, ad legem Iuliam de  
ambitu. ubi Modestinus: Hæc, inquit, lex in urbe hodie  
cessat, quia ad curam Principis magistratum creatio  
pertinet, non ad populi fauorem, qui scilicet declaratur  
per suffragia.

A M P H O R A uas est, sed quantum capiat pauci no-  
uerunt, illi maxime quorum id scire plurimum intererat.  
Est itaq; spatum quod circumscribitur, à sex ( ut sic di-  
xerim) superficiebus, quarum latera sunt pedalia, anguli  
uero recti, de qua Priscianus in libro de ponderibus &  
mensuris: Pes longo spatio solido latoq; notetur. Angu-  
lus ut par sit, quem claudit linea triplex, Quatuor ex  
quadris medium cingatur inane. Amphora fit, cuius uim  
ne uiolare licet, Sacra uere Ioui Tarpeio in monte Qui-  
rites. lib. 35. dig. qui est de legat. ij. Hermoge. in l. Si quis.  
Serui ex illo, inquit, dolio amphoras decem. Et ibidem:  
Vimum amphorarium. Item libro 33. titulo de penu le-  
gata. Scæuola in l. penum. Sin, inquit, & in horreis am-  
phoræ an hæc quoque deberentur. Accursius uasa tan-  
tum esse dicit.

A M I N A E V M uinum ex celeberrimis Campaniæ,  
de quo Virgilius secundo Georgicorum: Sunt Aminææ  
uites firmissima uina: dictum aminæum, ut putat Seruius,  
quasi sine minio, id est, rubore: nam, ut ait, album est.

Plinius lib. 34. Principatus, inquit, datur Aminæis propter firmitatem, senio quoq; proficientem. Idem quoque Falernum & Cæcubum dicitur. Macrobius in tertio Saturnal. de generibus uuarum: Aminæa, inquit, à regione dicta: nam Aminæi fuerunt ubi nūc est Falernum. Quod uero Aminæum Cæcubum & Falernum synonyma sint, testatur Galenus in sexto Decameridon: In musto, inquit, uuarum austarum, quas uocant Aminæas, eisdem & Falernas. Idem in libro de uinis: Aminæum quod antiqui Romani nominant Cæcubum. Idem in libro de Eu= chymia: Album, inquit, quale est Aminæum: nominat au tem id antiqui Latini Cæcubum. Proculus lib. xxxij. tit. de uino & tritico legato. l. qui. Aminæum, inquit, Græcum, & dulcia omnia.

**A M V R C A** est sanies, siue succus ille aqueus atque niger, qui ex oliua simul cum oleo exprimitur, atq; subsidit: nam oliua ex quinque substantijs constat, osse, nucleo, sansa, oleo, amurca. Virgilius primo Georgicorum: Profuit interdum nigra perfundere amurca. quam Seruius interpretatur olei sordes, sed non exponit quas, cum sint duplices: nam, ut dixi, quod subsidit oleo, ex oliuarum expressione dicitur Amurca: quod uero post oleum in dolia conditum, quasi secundum purgamentum, Fraces appellantur. Plinius lib. 15. Oleum, inquit, in amurca & fratribus deterius fieri. Adseruabatur autem amurca ad multos usus. Vnde Cato de re rusti. Dolia, inquit, amurcaria decem habeat. Vlpianus lib. 33. dig. tit. de penu legata. l. cui penum. Aristo notat etiam quæ esui potuiq; nō sunt, contineri legato, utputa ea in quibus esse solemus, oleum forte,

..

forte, garum, amurca. Accursius falsamenta esse dicit, sed non quæ illa sint exponit. Cum uero in amurca nullus cibus, quod ego legerim, esitari sit consuetum, fortè pro amurca legendum est muria.

**A N A D E M A** simpliciter corona est. Nam diadema proprie regum habetur, dictū anadema ab anadeo, quod est corono. Lucretius lib. 4. Fluunt anademata mitræ. Paul.lib.33.dig. tit. de auro & argento leg. l. quamuis. Sicut mitræ, inquit, & anademata.

**A N A L O G I S T A E** dicuntur tutores illi, qui nō tenentur reddere rationē tutelæ administratæ, ab ana præ positione, & logos ratio, ut ana tollat rationē. Julianus lib. 26. tit. de administratione tutorū. l. quidam decedens. Eos, inquit, analogistas esse uolo. & paulò post: Testamento comprehensum sit, ut analogistæ essent.

**A N G A R I A**, penult. longa, atq; in eodem accentu, interpretatur coactio. Vege.lib. 1. de re militari, loquens de tyronibus: In angarijs, inquit, plurimū detinendi sunt, proculq; habendi à ciuitatibus. Idem lib. ij. ad uigilias uel angarias faciendas. Accursius in illud codicis Iustiniani, tit. de sacrosanct. eccl. neminem in angarijs uel perangarijs &c. Angariae, inquit, quæ sunt in operis personarū. Perangariae in quibus utrumq; uertitur, scilicet personarum & rerum impendia: uerbū quoq; angario, as, quod interpretatur cogo, gis, sicut angaria est coactio. Matt. cap. 27. atque iterum Luc. 15. Angariauerunt Simonem quendam Cireneum. Vlpia. lib. 50. dig. tit. de priuilegio ueteranorum, naues inquit, angariare posse.

**A N I M A D V E R T O**, præter illam significationem

quam habet in promptu, hoc est considerare, significat etiam punire cū tantummodo, qui in alterū puniendi habet potestatem: differtq; cōstructione, nam dicimus animaduerto te, pro cōsidero te. Sallust. in Catil. Ut prius, inquit, in eos animaduerteretur. Et paulò post: Verberibus animaduertebant in ciues. Vlpia. lib. 46. dig. ti. de iniurijs. l. item apud Labeonem. Ait prætor, ne quid insinuandi causa fiat, si quis aduersus ea fecerit, prout quæq; res erit, animaduertam. Et animaduersio pro punitione. Vlpianus 47. lib. dig. tit. de furtis. l. meminisse. Extraordinaria, inquit, animaduersione coērcendam.

**A N C O N E S** uasa sunt cubitalia, quoniā ancon Græcè, cubitus interpretatur. Pau. lib. 33. de fundo instr. l. tabernæ. Doliaria, inquit, uasa, ancones, calices, trullæ.

**A N N I C U L V S**, inquit Valla, & si formā diminutiui habet, diminutiū nō est, & dicitur tam de rebus animatis, quām de inanimatis, quæ sunt unius anni, ut anniculus puer, anniculus agnus, anniculū uinū. Paulus de uerb. sig. l. anniculus. Anniculus, inquit, amittitur, qui extremo die anni moritur. Et infrā: Anniculus, inquit, nō statim ut natus est, sed trecētesima sexagesima quinta die incipiēte planè nō exacta dicitur. Item Aphricanus de leg. iij. l. cū quereretur. Agni, inquit, qui minores essent anniculis.

**A N N O N A** proprie dicitur de re frumentaria. Sed de alijs quoq; rebus posse dici, autor est Cic. in secundo, de diuinatione: Annonam, inquit, futuram cariorē in maccello. Erat autem præfetus annonæ. de cuius origine Liuius, libro quarto ab urbe condita. Dicta est autem annona, propterea quod sit alimentum annum.

**A N N V A,**

ANNUA, bima, trima die, id quod multis in locis apud Iurisconsultos legitur, quo sensu accipi debeat, manifestauit Iurisconsultus de annuis legatis. l. si legatum. Si legatum inquit, sit relictum annua bima trima die, forte dena, per singulos debentur annos, licet non fuerit adiectum aequis pensionibus. Ratio autem huius dicendi generis illa nimirum est, quod cum dies in genere fœminino tempus significet, ut apud Ciceronem, longa dies adimit ægritudinem. Et illud poëtæ: Longa dies homini docuit parere leones. Annuus autem significet quod est unius anni: bimus, quod duorum annorum: trimus, quod trium annorum, erit annua, bima, trima die, idem quod anno, biennio, triennio. Quod Iurisconsultus quoq; expressit in tit. de manumissis testa. l. si ita. Si ita, inquit, sit scriptum in testamento: Stichus seruus meus heredi meo mille nummos annuo, biennio, triennio, si soluerit, liber esto.

ANTIADES & paristmi, à Græcis dicuntur, quæ sunt Latinis tonsillæ, & sunt inflamationes circa eas partes, quæ mela, id est, poma, à recētioribus uero amygdalæ appellantur. Celsus lib. 7. cap. 11. Tonsillas quæ post inflamationem induruerunt, Græci antiades appellant. Galenus lib. 6. Decameridon: Hortulanū, inquit, ab uulua & antiadibus & paristmījs suffocationē patientē. Idē uero lib. x. de medicina simplici, paristmījs siue faucibus uulue & antiadibus. Vlpia. lib. xxij. tit. de ædil. edic. l. quæritur. Et si quis habeat antiades, & si antiades sunt quas existimo, id est, inueteratas, & quæ iam discuti non possunt, utrobiq; mendum est: Antiachæ pro antiades. Accursius faucium tumores exponit, non tamen dicit quos

tumores : quod uero subdit ut scrofulæ , omnino falsum est, cum scrofulæ sint apud iuniores medicos quæ ab antiquis dicuntur chœrades Græcis, Latinis strumæ.

**A N T I D O R V M** ex Græco interpretatur remuneratione ratio, siue retributio, ab anti quod est re, & doron, donum, quasi doni redditio. Vlpianus lib. 5. dig. tit. de petitione hæred. l. sed & si. Planè si antidora acceperunt, dicendum est eatenus locupletiores factos, quatenus accepérunt. Locus est in quinto Ethicorum Aristotelis lib. hucusq; ab expositoribus non enarratus, ubi Leonardo interprete legitur, unde sacra gratiarum sunt: quo in loco Aristoteles de hac remuneratione loquitur.

**A N T I D O T V M** siue antidotus, est medicamentū, quo nos contra uenenu præmunimus, ex eo quod contra detur, dicta. A. Gellius lib. 16. Huius autē regis antidotus celebratissima est, quæ mithridaticos uocatur. Serenus: Antidotus uero multis mithridati fertur Cōsociata modis. & Plin. lib. 7. cōtra uenena est præcipuum antidotū. Pau. lib. 33. dig. tit. de penu lega. l. nō omne. Quo, inquit, in numero antidotū nō est. Item lib. 18. tit. de cōtrahenda empt. l. quod s̄epe. Antidota, inquit, & alia quædam salubria medicamenta. Utrobiq; Accursius nihil aliud dicit, quām esse genus medicamenti, sed non quid illud sit.

**A N T I N O M I A** potest interpretari legū cōtrarie-  
tas, ab anti contra, & nomos lex, ut in codice Iustiniano,  
tit. de ueteri iure enucleando. l. deo autore. Nulla, inquit,  
in omnibus prædicti codicis mēbris antinomia. Sic enim  
à uetustate Græco uocabulo nuncupatur. Et paulò post:  
Per suum uitium antinomias induxerunt.

A N T O

**A N T O N I N V S** & Seuerus quoties in libris Digestorum legitur, mendum est insigne, pro eo quod esse debuit, Antoninus & Verus, tum ex codicibus illis uetustis Florentinorum, tum etiam ex ipsa temporum historia.

**A P O C H A** dictio Græca est, interpretaturq; receptio: nam tūc illam creditor dat debitori, cum ab illo pecunias numeratas, aut rem quam illi debebat recepit. Vopianus lib. 46. dig. de acceptill. l. si acceptillatum. Intra acceptillationem, inquit, & apocham, hoc interest, quod acceptillatione omnimoda liberatio contingit, licet pecunia soluta non sit. Apocha non aliás quam si pecunia soluta sit. Item de fide instrument. l. plures apochis. atq; in eodem tit. est de apochis.

**A P O L I D E S** Græce dicuntur, qui extorres siue exules sunt, dicti uel ab apoleo, quod est depredo, siue ab a particula priuatiua, & polis, quod interpretatur ciuitas, ut Martianus scribit lib. 48. dig. de pœn. Quidā, inquit, apolides sunt, id est, sine ciuitate. Vlp. quoq; de leg. iij. l. j. Nec testamēti, inquit, faciēdi ius habēt, cū sint apolides.

**A P O S T O L I**, orum, ex Græco interpretantur dimissoriæ literæ, ab apostello, quod est remitto. Vnde est apostole, es, idē quod remissio. T. Li. Apostolos, inquit, fregit in senatu. Titulus est apud Iuriscōs. de libellis dimissorijs, qui dicuntur apostoli, lib. 50. dig. Modestinus quoque de uerborum signific. l. dimissoriæ. Dimissoriæ, inquit, literæ dicuntur, quæ uulgò apostoli.

**A P P A R I T O R E S** dicuntur, qui apparent, & præsto sunt, obsequunturq; magistratibus. Virgil. 9. Aeneid. Quam ipsi cupiant regi apparere Latino. Gell. lib. 2.

Posteaquam lictor, qui illi apparebat, intellexit. Cic. lib. tertio de legibus: Leges, inquit, sunt, quas apparitores nostri uolunt. Hieron. ad Saluinam: Nihil nocuit militanti paludamentum & baltheus, & apparitorum cetera. Vlpianus lib. 21. tit. de euictionibus. l. si pignora. Si pignora, inquit, ueneant per apparitores.

APPENDICIVS, a, um, dicitur quod ab alio pendet. Hieronymus ad Furiam: Pudicitia sine comitibus & appendicijs suis continentia & parcitate. Vlpianus lib. 20. dig. de acquirenda hæred. l. si quis. Sunt, inquit, appendicæ præcedentis institutionis.

AQUIMINARIVM uas est, quod quoquo uersum fundit aquas: unde à Græcis ex Herodoto, interprete Val. perirhanterion dicitur, à peri circū, & rantizo spar go, siue irroro. Pomponius lib. 34. de auro &c. l. et si. De aquiminario dubitatum est. Et puto contineri: nam & hoc propter escam paratur. Et eodem titu. l. in argento. De aquiminario, inquit, Cassius se consultum respondisse. Item de supellect. legata. l. id est. aquiminarij sepe meminit.

ARCARIVS, is dicitur, qui pecuniā publicā adseruat. Hieronymus in calce epistole ad Rom. pro eo quod in Greco est ὁ οἰκονόμος ipse arcarius interpretatus est: Salutat, inquit, uos Erastus arcarius ciuitatis. Scœuola lib. xl. dig. in tit. de fideicommiss. liber. l. thais. Stichū, inquit, rationibus redditis manumitti uolo: Stichus arcarius probante domino nomina fecit. In codice quoq; Iustiniano titulus est de susceptoribus & præpositis & arcarijs. potest igitur arcarius esse publice & priuatim.

ARCHIA

**A R C H I A T R O S** ex Græco interpretatur princeps medicorū, dictus ab archos quod est princeps, et iatros medicus. Aug.lib.3.de ciuit.dei. Vbi se, inquit, Aesculapius excusabit, quod archiatrum se nō obstetricē profitebatur. Hieron.ad Euagrium: Ne fieret, ait, aliqua plaga, quæ scientiā nostri lateret archiatri. Iulius quoq; Firmicus lib.ij. matheseon. Mercurius in tertio ab horoscopo loco constitutus facit archiatros. In codice Iustiniano tit.de professorib. & medicis.lib.x. Medicos, inquit, & maxime archiatros, uel ex archiatri. & infrā l.archiatri. Archiatri, inquit, scientes annuaria sibi commoda.

**A R C H I G E R O N** interpretatur princeps seniorū, quoniā gerontos Græcè est senior, siue senex. In cod.Iustiti. ti.de episc.aud.l.archigerontes. Archigerōtes, inquit, & dioecetæ. Accur. quod mirū sit, archigerōtes archipresbyteros interpretatur recte: quod presbyteros aequè senior interpretatur, ut idē sit archigeron quod archipresbyter.

**A R C H I G V B E R N I V S** interpretatur gubernatorum princeps, siue classis præfetus: compositum nomen ex Græco & Latino, quod perquam rarum est: aliquādo fieri solet, ut Quintilianus lib.j.ostēdit. Iabolenus lib.36. dig.tit.ad Senatusconsultum Trebellianum.l.eius.Saturnius, inquit, archigubernius ex classe Britannica.

**A R C H I M A N D R I T A** interpretatur agminis siue gregis princeps: mandra nanque multa significat apud Græcos. speluncā interpretatur frater Ioannes Carmelitanus. Iuuinalis mandram posuit pro mulione, cum in tertia Saty. scripsit, Stantis conuicia mandræ. Martialis pro ipsa mulorum concatenatione, dicens: Vixq; datur

*longas mulorum uincere mandras. Atq; idem aliubi pro calculo in ludo, quem uocat uulgus scacorum, his uerbis: Sic uincas nouiumq; publumq; Mādris & uitreo latro- ne clusos. In codice tamen Iustiniano lib. i. pro pontifice accipitur. Reuerēdissimi, inquit, archimādritæ. Idē col. j. de monachis. Deo, inquit, amabiles episcopi & archimā- dritæ. utrobiq; pro pastore.*

*ARCHIMIMVS interpretatur princeps mimorū. Sunt autem Mimi poēmata lasciuientia in turpitudinē: de quibus scripsit Ouid. Scribere si fas est imitātes turpia mimos. Et Martialis: Mimos ridiculi Philistrionis. Mi- mus uero, autore Diomede, dictus est, quod omnia solus imitetur, à uerbo Græco mimeomæ, quod interpretatur imitor, nam cū alia poēmata idē faciant, hic tamen pecu liari quodam modo. Julianus lib. 38. de operis lib. l. patro- nus. Nam si quis, inquit, archimimum uel pantomimum.*

*ARCHITĒCTVS interpretatur princeps fabro- rum: nam tecton est faber, lignarius maxime, sed archite ēti negociū ad plura se extēdit. Vitruvius lib. i. de archi- tectonica: Architecti, inquit, scientia est pluribus discipli- nis & uarijs eruditionibus ornata, cuius iudicio probātur omnia, quæ à cæteris artibus proficiuntur opera: ea na- scitur ex fabrica & ratiocinatione. Hinc Paulus aposto- lus trāslatione utens dixit in epistola quadam: Quasi sa- piens architectus fundamentū posui. Callist. lib. 50. de iu- re immu. l. quibusdam. Veterinarij, inquit, architectus.*

*ARCHIVVM interiecta, u, à Latinis dicitur, quod est Græcis archion, quod interpretatur principiū, & est lo- cus ubi monumēta literarū publicè adseruantur. Martial. in phi-*

in philologiæ nuptijs: Cloto & Lachesis librariæ superū archiuiq; custodes. Hieron. in prologo Ester: Librū, inquit, Ester uarijs translatoribus cōstat esse uitiatum, quē ego de archiuis Hebræorum reuelans uerbum è uerbo expressius transtuli. Vlpianus libro 48. titu. de pœnis. l. moris. Quo loco, inquit, publice instrumenta deponantur archiuo fortè uel grammatophylacio.

A R E A , inquit Festus Pompeius , locus est uacuus quasi exaruerit, & non possit quicquam generare, qualis est in qua teruntur messes. Est quoque in urbe solum, siue terræ superficies, in qua nihil est ædificatum. Florentinus de uerborum signifi. l. fundi. Locus, inquit, sine ædificio in urbe, area: in rure, ager.

A R E L A T E N S I S ab eo est, quod est Arelas, siue Arelate, ciuitas prouinciae Narbonensis: nunc est Arles. Pli. lib. 33. Pompeius Paulini equitis Arelatensis filius. Scœuola lib. 33. dig. de usu & usufructu. l. codicillis. Ad rem publi. inquit, Arelatensium pertinere.

A R E N A plerunque pro amphiteatro ponitur, quo in loco bestiæ conficiebantur, sic appellatus, ab eo, quod arena in solo spargebatur, quæ sanguinē effusum ex uulneribus, siue ferarum, siue gladiatorū ebiberet. Iuuenalis: Lenonibus atque lanistis Libertas iurisq; idem cōtingat arenæ. Vlpianus libr. 48. dig. tit. de accusatoribus. l. qui iudicio. Qui cum bestijs, inquit, depugnandi causa in arenā intromissi sunt. Hinc & Arenarij dicti, qui operas suas locabant, aut obijciendo se feris, aut congregiendo cum altero gladiatore, cuiusmodi homines infames sunt. Callistratus lib. 38. de operis libertorum. l. hæc demum. Neq;

*arenarius, inquit, manumissus &c.*

*A R E S E V S* a nomen celebre est fœminarum in libris digest. In libris recentioribus mendose legitur Arethus. Neque ignoro Arethusam nympham esse, & fontem eiusdem nominis in Sicilia. de utraque Virgilius in Bucolicis, & in quarto Georgicorum libro. Sed quod ad iuris ratione attinet, nihil refert Areseusam dicas, an Arethusam. nos puritatem lectionis defendimus, quod grammatici proprium est officium.

*A R G E N T A R I V S* non tam argenti opifex est, quam is qui pecunias publicas exigit, aut pecunias sub fine publica permutat, qui uulgò Campsores appellantur. Marcellus libro 4o. de statuliberis.l. stichus. Aut argentariæ, inquit, mensæ exercitores. Item libro secundo digestorum, titu. de edendo.l. prætor. Prætor ait, Argentariæ mensæ exercitores.

*A R M E N T U M*, inquit Varro de lingua Latina, di-  
Etum est quod boues maxime parabantur ut inde eligerent ad arandum: inde armenta dicta postea, tertia litera extrita, pro aramenta. Festus tamen Pompeius armentum id genus pecoris appellat, quod est idonum ad opus armorum. Pomponius titu. de uerborum significatione.l. boues. Boues, inquit, armentorum magis quam iumentorum nomine appellantur.

*A R M I L L A E*, inquit Festus, erant ex auro, quas uiri militares ab imperatoribus donati gerebant, dictæ quod antiqui humeros cum brachijs armos uocabant, unde arma ab his dependentia sunt uocata. Vlpianus libro trigesimoquarto digestorū, de auro & argento legato.l. argumento

mento. In aures, inquit, et armille.

ARRA, arræ: siue arrabo, onis, proprie illud est quod datur pro emptionibus confirmandis. Nam quemadmodum Ulpianus ait, sine pretio uenditio nulla est, neque precij numeratio, sed conuentio facit emptionem. Sed ut Caius Iurisconsultus ait, quod arra pro emptione datur, non eo pertinet, quasi sine arra conuentio nihil proficiat, sed ut evidentius probari possit conuenisse de pretio. Sed quur in sponsalibus contrahendis ab sposo arræ dentur sponsæ, undeq; ea res habeat originem, pauci nouerunt. Consuetudo fuit apud maiores nostros, ut sponsus et sponsa inituri fœdus matrimonij se in uicē coëmerent: facta igitur pretij conuentione, et sponsa emebat sponsum dotis pretio. Id quod Plautus expressit dicens: Imperium accepi, dote libertatem uendidi. Et Iuuenalis: Veniunt an dote sagittæ Libertas emitur. Contrario sponsus emebat sponsam. Vnde est illud Virgiliatum ex primo Georg. Teq; sibi generum Tethys emat omnibus undis. Sed quia utrumque pretium futurum erat in potestate uiri, accipit ille dotem, quia emptus est a sponsa: illa uero tantum accipit arras, quod est quasi quoddam emptionis signum. Aliquando tamen arra pro pignore simpliciter accipitur apud autores.

ARTEM O onis, trochlea genus est, machina ad sublevanda onera, quæ Græcè dicitur epagon. Vitruvius lib. decimo de Architectura. In radice, inquit, machine collocatur tertia trochlea: eam Græci epagonta, nostri artemonem appellat. Lucas in apostolica historia cap. 27. Artemone quasi Græca dictione utitur, cum dicit: Et le-

uato artemone secundum auræ flatum, tendebant ad litus. Nam in Græco artemona posuit. sed fieri potest ut à sermone Latino acceperit Lucas, cum præsertim qui cum Paulo erant in ea nauigatione Romani essent, aut saltem Romanè loquerentur. Quod si artemo dictio Latina est, non potest per th aspiratum legi, id quod Isodus putauit, cum nulla dictio Latina th, sed neque ullam aliam consonantem aspiratam recipiat. Iabolenus de uerborum significatione.l. malum. Malum nauis esse partē, artemonem non esse, Labeo ait.

ASSESSORES dicuntur qui assident iudici, non ut iudices, sed ut approbaturi iudicis sententiam, quomodo Saluator noster discipulis dicit: Sedebitis & uos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israël. Iulius Firmicus libro secundo matheseon. Mars, inquit, assessores maximos iudicūm facit. Paulus libro primo dig. titu. de officio assessoris.l. omne .Officiū assessorum, quo uiri studiosi partibus suis funguntur, in ijs causis constat. In codice quoque Iustiniano titulus est de assessoribus & cancellarijs.

ATHLETA interpretatur pugil siue certator, quia athlos est certamen, & athlon ipsum certaminis præmium: res quidem honorifica: non quemadmodum eorum qui artem ludicram exercent, infamis. Iuuenalis: Læuibus athletis & uasa nouissima donat. Vlpianus libro 27. titulo de excusationibus. Athletæ, inquit, habent à tutela excusationem. Vlpianus libro 2. dig. titu. de ijs qui not. l. athletas. Athletas autem artem ludicram non facere.

ATRIENSES siue atriarius, seruus est, qui alijs seruis à do-

uis à domino præponitur, dictus quòd atrio, hoc est, pri-  
mæ domus parti, ubi apud antiquos diuiciæ adseruaban-  
tur, custos adhibebatur, de cuiusmodi seruo Virgi. intelle-  
xit cum in Aeneid. dixit: Fidusq; ad limina custos. Et qua-  
lis est aut fingitur Plautinus ille Saureas atriensis, qui sit  
quasi œconomus, siue uillicus. Plinius Cæcilius in episto-  
lis: Sumptus atriensium, topiariorum & fabrorum. Sene-  
ca quoque in epistolis: Sed habet uillicus atriensis colo-  
nus. Vlpianus lib. 33. titu. de fundo instructo. l. instrumen-  
ta. Si uilla, inquit, cultior est, ueluti atrienses & scoparij.  
Item de uerborum signifi. l. in lege. Vtrum, ait, dispensa-  
tores, insularij, uillici, atrienses. Accursius atriëscs inter-  
pretatur, qui purgant atrium.

ATTELLANVS, na, num, ab Attella urbe Campa-  
niæ, de qua Silius lib. undecimo Punicorum: iamq; Attel-  
la suas, iamq; & Calatia adegit. Inde Attellani ludi, &  
Attellanæ comœdiæ. Iuuenalis: Vrbicus ex odio risum  
mouet attellanæ Gestibus autonoës. Scæuola titu. de le-  
gatis tertio. l. patronus. Fundū, inquit: in regione Attel-  
lana legauit.

A V T O R A R E aliquem, est illum sibi obnoxium fa-  
cere atque obligare, quoniam autores dicuntur, qui ha-  
bent potestatem aliquid faciendi, & sine quorum auto-  
ritate non potest aliquid fieri. Vnde tutores dicuntur auto-  
res pupillorum, & milites dicuntur autorari à duce siue  
prefecto exercitus, id est, obligari in illorum uerba ius-  
rantes. Vnde titulus est apud iurisconsultos, de legendō  
uel autorando milite, & inde autoramentum pro ipsa  
obligatione. Vnde Seneca dicit, Nullum sine autoramēto

*malum est. Et Cicero in primo offic. Est enim illis ipsa merces autoramentum seruitutis. Vlpianus libro, 26. tit. de autori. & con.tut.l. et si pluribus. Si tutor, inquit, auto retur cui administratio tutelæ concessa non sit. pro obligetur. Inde cōponitur exautorare, pro eo quod est ab obligatione soluere. lege in uerbo exautorare.*

*A V R V M coronarium dicebatur, quod erat coronis faciendis aptissimum, & quantum possumus coniectura assequi, est illud quod ex insulis Indorum nuper repertis aduehitur, nō quodcunq; sed quod uulgò dicitur Guanin: neque enim est eiusdem speciei cum auro communi, quoniam igni purgatum, non pertingit gradum uigesimum. In sacris literis hoc genus auri Cethim dicitur, & inde Cether dicta est corona auri. Huius generis auri meminit Iustinianus in suo codice, titu.de Iudeis.l. Iudeorum. Quam formam, inquit, patriarchæ quondam coronarij auri nomine postulabant. Item libro decimo de auro coronario, lege unica. Ad collationem, inquit, auri coronarij placuit neminem absque consuetudine esse cogendum. Sed quur illud auri genus destinaretur coronis, illam puto fuisse causam, quod splendore quodā peculiari fulget.*

## B

**B** A L V C A aurum est nondum purgatum, neque adhuc in massam redactum. Graece chrysamos dictum, quasi ab eo quod sit aurum imperfectum. Neque est uerbum Latinum, quod Accursius putauit, sed Hispanū. scribit Plinius libr .33. Natur. histo. Hispani, inquit, aurum quod minutum est, balucā uocant. Iustinianus libr. undecimo

cimo, in titu. qui est de metallarijs: Octonos, inquit, scrupulos in baluca. Et infra l. ob metallum. Quatuordecim inquit, uncias in baluca. Cuius legis sensus hic est, quod si metallarij conduixerunt à principe aurifodinam aliquot auri libris, puta centum, id debere esse purgatum, quod soluendum est. Quod si uoluerint soluere in baluca, debe re pendere pro singulis libris quatuor denas uncias, hoc est, pro intertrimento & spurcitia duas ultra duodecim. Est operæ pretium audire somniantem Accursium. Baluca, inquit, uas lucens, quasi in eo uase aurei illi uectigales principi deferrentur. Sed quia hæc interpretatio sibi nō placebat, adiecit aliam non minus ridiculam. Vel baluca, inquit, quasi baiulans lucem, hoc est, auri splēdorem. Dic mihi, ô Accursi, hoc est de quo tu gloriaris, accurrere uel succurrere legibus, an potius ea quæ dilucide à legislatore dicuntur, tenebris inuoluere?

B A N N V M à recentioribus dicitur illa species exilijs, quæ ab antiquis dicebatur proscriptio. Encartados hu- iusmodi exules Hispani appellant. Itali bannitos, ij sunt de quibus in iure ciuili & apud autores Latinos dicitur, quod carent iure togæ, quibus aqua & igni interdictum est. Codice de episcopis & clericis, in noua constitutione Frederici: Banno, inquit, imperiali subiaceant.

B A P H E V S interpretatur tinctor, & baphe tinctora, utrumque ductum à bapto, quod est tingi, siue colore inficio. Seruius in illud Virg. libro quarto Georg. Hyali saturo fucata colore: iuxta Tarentum, inquit, sunt Baphia, ubi tingitur lana. Iustinianus libro undecimo codi- cis, titu. de murilegulis. l. baphei. inquit: Per quos & pri- uata no

uata nostra substantia tenuatur, et species gynecij confessae corrumpuntur. Idem in titu. de uestibus holoberis l. purpuræ. Ad baphia, inquit, Phœnices.

B A S T A G A R I I siue bastazontes, dicuntur baiuli et corbulones, qui ferunt onera humeris, dicti à bastazo uerbo Græco, quod est porto as, Latine. Iustinianus libro undecimo codicis, titulo de murilegulis et bastagarijs. Quod ad præsens, inquit, remedium pertinet, quintum animal bastagarijs pro reparatione præbcatur. Accurſius nihil plus succurrit quam solitus est. Sunt, inquit, bastagarij, qui cogunt rusticos ad hoc, uel sunt becharij de domo principis. Becharios Itali uocant lanios siue laniones: sed diuinat, ut solitus est alijs in locis.

B E R Y T O S ciuitas est Syriæ Phœnices, prope Tyrum et Sidona, patria Vlpiani iurisconsulti. Plinius libr. quinto. Berytos, inquit, colonia, quæ Felix Iulia appellatur. Scœuola libro 45. dige. titu. de uerborum obligatione. l. qui Romæ. In prouincia, inquit, Syria, in ciuitate Beryto. Paulus quoque in titu. de censib. Berytos, inquit, in Phœnicia. Hinc berytius tia, tium. Vnde Plinio uina berytia celebrantur. lege statim biblij.

B I B L I V S a, um, à Biblo oppido quoque Phœnices, de quo Strabo, Plinius, Mela. Est et in eadem prouincia Palæbiblos, id est, antiqua biblos. Bibliorum meminit Ieze chiel propheta, cap. 26. et 27. Iustinianus libro decimo Codicis, titu. qui est de municipibus et originarijs. Cum te Biblum origine, incolam autem Berytum esse proponas. Vtraque enim Syriæ Phœnices est ciuitas, et altera alteri finitima est.

BIBLI

BIBLIOTHECA locus est, ubi reponuntur libri, nam biblos interpretatur liber, theca repositorium: quē admodum Dactylotheca, ubi reponuntur annuli: Oporo theca, ubi fructus arborum: Pinacotheca, ubi tabulæ. Vlpianus lib. 32. dig. qui est de legatis tertius. l. librorum. Libris, inquit, legatis bibliotecas non contineri.

BIDE NS, tis, genus est instrumenti fossorij, dictum ex eo, quod duos habeat dentes, quemadmodum rastri, quod habent plures. Iuuenalis: Viue bidentis amans, et culti uillicus horti. Vlpianus lib. xxxij. dig. l. instrumen=ta. Ligones, inquit, sarculi, falces putatoriæ, bidentes.

BINI, æ, a, nomen est numerale distributuum, siue diuiduum, hoc est, quod significat tot res illarum quæ dividuntur singulis competere, ut si dixeris, bini argentei sunt uiritim distribuendi, intelligimus quod singulis uiris competit duo argētei. Poëtæ abutūtur hac significatio=ne, accipiētes bina pro duobus simpliciter. Virg. j. Aene. Bina manu lato crispans hastilia ferro. Idem in s. Fre=naq; bina meus quæ nunc habet aurea Pallas. Accursius huiusmodi nomina in bis tantum interpretatur: ut bina pro quatuor, quina pro decem, dena pro uiginti, contra mentem legislatoris, magnoq; sensus detimento. Lege in dictione deni. Est alia significatio huiusmodi nominum cum iunguntur nominibus pluraliter declinatis, ut si dicas, binas literas tuas accepi, intelligo quod accepi duas epistolas, sed binas dixi, quia literæ literarum pro episto la caret numero singulari. Hinc est quod M. T. reprehēdit filium Ciceronem, quia scripserat se accepisse duas li teras, cum debuisset dicere binas: nam dicendo duas, si=

C

gnificabat quod duo tantum elementa accepit, puta a,  
b. Neratius lib. 39. titu. de damno infecto. l. quod Cor  
nelius. Binarum, inquit, ædium. & in alia lege de seruitu  
tibus urbanorum prædiorū, cuius initium est, Binas ædes  
habeo, alteras tibi lego: utrobiq; significat duas domos.  
Nam ædes pluraliter declinatum (ut diximus in dictione  
ædicula) domum priuatam significat. Quòd si dixisset  
duas ædes, intelligendum esset quod habebat duo templā:  
quandoquidem ædes templum significat in utroq; nume  
ro, aut quemadmodum Accursius interpretari cōsueuit,  
in bis tantum, quatuor templā.

B I S S E X T U S appellatur dies ille intercalaris, qui  
in quarto quoq; anno interponitur, mense Februario, die  
sexta Calendas Martias: unde bissexturn dicitur, quod bis  
numeramus sexto Calendas Martij. Sed ut alterum ab al  
tero distinguiatur, in priori dicendum est sexto Calendas  
Martij die intercalari, in posteriori simpliciter sexto  
Calendas Martij. Est autem intercalare ferè interpone  
re. Causa uero adiiciendi illum diem ea nimirum fuit, ut  
cursus solis cum numero dierum congrueret, quod fieri  
non posset, nisi quarto quoq; anno dies unus adderetur,  
qui colligitur ex quadrante, hoc est sex horis, quæ ad cō  
plendum solis cursum post trecentos sexaginta quinque  
dies supersunt, de quo multa apud Macrobius in primo  
Saturni. Celsus de uerborum signifi. l. cum bissexturn. &c.  
ubi Accursius multa delirat.

B Y S S I C U S a, um, siue byssinus a, um, est res ex byssi  
materia constans. Est autem byssus genus lini cādidiſſimi  
circa Elidem Achaie naſcens, neque uſquam ferè alibi:  
quemad

quemadmodum Carbasus in Hispania iuxta Tarragonē.  
de utroq; Plin.est autor lib.19.Natu.historiæ.Byssimē=  
minerunt sacræ literæ in utroq; testamento. Martianus  
lib.39.tit. de publicanis.l.fin. Xylocinnamomum, opus  
byssinum.ubi pro byssico mendose bussum legitur.

B O M B Y C I N V S a, um, quod est à bombyce. Est  
autem Bombyx uermiculus ex cuius capillamento depe=  
ctitur quod uulgò dicitur sirgo siue seda. Nam Sericum  
longe aliud est,quam quod putat uulcus incertus loquē=di artifex, de quo in uerbo Sericum. Sunt igitur uestes  
bombycinæ, quas ignari harum rerum uocant sericeas.Iu=uenalis:Hæ sunt quæ tenui sudant in Cyclade, quarum  
Delicias et pāniculus bombycinus urit.Vlpia.lib.33.tit.  
de auro et argento leg.l.uestis.Vestimentorum, inquit,  
sunt omnia lanea lineaq; serica uel bombycina.

B O N A orum,inquit Festus, dicuntur substantia re=rum:sic dicta, quod uiris bonis digna sunt.Sed aliter uul=gu accipit bona,aliter sapientes.Vulgus nanque impe=ritum ea tantum appellat bona,quæ sunt fortunæ subie=cta,cum illa infimum gradum in genere bonorum obti=neant, imò uero secundum Stoicos neque omnino sint  
bona simpliciter, cætera uero bona cum additamento,  
aut bona utilia, aut bona iucunda.Iurisconsulti tamen  
quia cum uulgo et ad uulcum loquuntur,bona uo=cant patrimonium et censum cuiusque,ut Vlpianus ti=tulo de uerborum significatione:l. bonorum appella=tione et c.

B R A C T E A R I V S est ille, qui secat aurum in te=nuißimas laminas, quæ dicuntur bracteæ, ut apud Virg.

lib. 6. Aeneid. Tenui crepitabat bractea uento. Inde bractearius dictus. Iulius Firmicus lib. 3. matheseos: Venus, inquit, aurifices, inauratores, bractearios, & argentarios facit. Iustini. lib. 11. cod. l. 1. Artifices, inquit, bractearij. Ac cursius Petaburgos interpretatur, id est, qui faciūt quædam uolubilia circa frenos: sed in qua lingua dicantur huiusmodi artifices petaburgi, ego fateor me ignorare: quē admodum possum persanctè iurare, Accursium omnino non intellexisse, quid bractearij nomine significaretur.

B R E P H O T R O P H I V M , locus est, ubi infantes expositi publice aluntur, nam brephos interpretatur infans, & trophe alimentū: sic orphanotrophium dicitur, ubi aluntur orphani, & ichthiotrophium ubi pisces: peristerotrophium ubi columbae. Iustinianus in codice tit. de sacrosanct. eccl. l. illud. ubi mēdose bephotropiū legitur, expuncta secunda litera. Item & iterum l. sancimus. atq; iterum l. ut inter. habetq; accentum in penultima.

B V B V L C V S est custos boum, aut qui bobus utitur. Ouid. quarto de ponto. Per medias Istri plaustra bubulus aquas. Cato de re rustica: Bubulcum unū habeat, asinariū unum. Paulus lib. 33. dig. de fundo instr. l. cum de lanionis. De bubulco, inquit, siue de eo qui ibi bobus arat. Inde bubulonicus, a, um, res ad bubulcum pertinens, ut in eodem titu. l. sed & stragulas, uestes, & bubulonicas, que equis insterni solent.

B V C C I N V M , genus conchyliorum est, ex quibus purpureus color inducitur, nam purpuræ annumerantur murices. Buccina quæ à Græcis dicuntur ceryces, & quæ proprio nomine dicuntur purpuræ. Vlpianus lib. 32. qui est de

est de legatis tertius.l.si cui.Purpuræ appellatione omnis generis purpuram contineri puto, sed coccum non cōtinebitur:buccinum autem & Ianthinum continebitur. Accursius coloris genus dicit.

B V P R E S T I S, ut scribit Plini. bestiola est rara in Italia, simillima scarabeo longipedi. Idem lib. 13. Pollet, inquit, contra cantharides buprestim, & Pityocampas. Apud Marcellum 48. digestorum.l.eiusdem.ubi pro bupresti & pityocampis mendose legitur bubostris & pituocarpas. Siquidē buprestis dicitur quasi bouis prester, id est, serpens: nam subit nares boū, atq; ita enecat illos.

B V R D O, partus est ex equo & asina, sicut ediuersus mulus ex asino & equa. Hispani burdieganos appellant. In quarto Regum lib. cap. quinto, Hieronymo interprete: Obscro, inquit, concede mihi seruo tuo, ut tollā onus duorum burdonum de terra. hos Græci ginnos uocant. Theodorus Gazes ex Aristotele in libro de animalibus, Inos interpretatur. Vlpianus lib. 32. dige. qui est de legatis tertius.l.item legato. Vel lectica, uel burdones.

## C

**C**A B A L L V S ab equo eo distat, quod caballus ferè nunquam sine derisione dicitur, atq; ideo Satyrici poëtæ, qui dum risum excutiant nemini parcunt, caballo potius, quam equo utuntur. Lucilius apud Nonium Marcellum: Succussatori tetri tardiq; caballi. Et Horat. Saturreiano circuuectare caballo. Equus uero non dicitur, nisi de apto, & qualē Virg. 3. Georg. describit, dicēs: Cui ardua ceruix, Argutumq; caput, breuis aluus, obesaq; terga, Luxuriatq; thoris animosum pectus, &c. Pomponius

## C 3

lib. 33. tit. de fundo instruc. l. si ita. Caballos, inquit, qui in pistrinis essent. Nam pistrinis non delegantur nisi mali, & de quibus Iuuenalis dixit: Dominos pretijs mutare iubentur Exiguis, tritoq; trahunt epirhedia collo. Segnipes digni; molam uersare nepotis. Hos Hispani rocines, illos cauallos appellant.

C A C A B V S olla grādior est, siue illa sit ex argilla, siue ex stanno, siue ex argēto, uel alia quacūq; metallica materia. Columella lib. 13. de re rustica. In cacabo figlino nouo coquitur uel stanneo musti arbustiui aminei urna. Ecclesiast. 13. Quid communicabit cacabus ad ollā? quādo enim se colliserint, confringentur. quasi cacabus sit ex metalli tantū materia, & olla ex creta dūtaxat figlina. Pomponius lib. 34. tit. de auro & arg. leg. l. & si. Cer te, inquit, si cacabos argenteos habebat, uel miliarium argenteum. id est, uas ad coquendum milium.

C A D V C V M, ex lege Papia, legatū erat relictū sub conditione, qua deficiente, uel uiuo, uel mortuo testatore cadebat, & redibat, uel ad testatorē uiuum, uel ad substi tutum eo mortuo. Vnde tit. est in cod. Iustiniano. de toll. caducis. Iuuen. Legatum omne capis, nec non & dulce ca ducum. Commoda præterea iunguntur multa caducis.

C A E D V V S a, um, à cædēdo, id est, scindēdo dicitur: unde sylua cædua dicta, quod illius arbores licitū est scin dere, siue lignorū, siue materiæ causa. Nam sylua nunquā dicitur nisi de arboribus. Plin. Cæcilius in epistolis: Cæduæ, inquit, syluae cum monte ipso descendunt. Cato de re rusti. Sylua, inquit, cædua &c. Papinia. 24. dig. ti. solu. matrim. l. diuortio. Si arbores, inquit, cæduæ fuerunt, uel germi

*germinales. Item de uerborum signific.l. sylua cædua.*

CAEMENTVM dicitur à cædēdo, nec est quod uul  
gus putat, ædificij fundamentum, sed sunt lapides, ut ait  
Nonius, quibus ædifica cōsurgunt, citatq; Sisennā in 4.  
historiarum: Formidine, inquit, oppressis quod humilē cæ  
mentis instructū oppidi murū sciebat. Vitru.lib.1. Saxa  
quadrata, siue silex, siue cæmentū, siue coctus later. Vlp.  
lib.41.ti.de riuis.l. Seruius. Si riū cæmentitiū uelit face  
re, audiendum esse. hic pro lapidibus quadratis posuit.

CAIUS Iurisconsul. fuit, pace aliorum dixerim, peri  
tißimus omniū. Eius consulta cōsultissima citātur quam  
sæpißime in libris Pandectarū, sed in illis Florētinis sem  
per per C, Caius: in recētioribus uero per G, Gaius. Cau  
sauero erroris ab eo est orta, quòd Seruius grāmaticus  
scribit in 1. Georg. Virg. lib. tria esse nomina quæ scribū  
tur per c, proferri debent per g, Cneius, Caius, Amurca.  
de Amurca superius dictū est in suo loco: de Caio per c,  
debere scribi, Quintil. est autor lib.1.orat.instit.

CALATA, comitia dicebantur, autore Gellio, quæ  
pro collegio pontificū haberi solebant, aut regis, aut Fla  
minum inaugurandorū causa. Ea autē in duo genera di  
uidebantur, curiata uidelicet, & cēturiata, de quibus Dio  
nysius Halicarnasseus, & Liuius in primo ab urb. cond.  
scripsierunt. Comitia uero calata dicebantur ex eo, quod  
populus uocatus in unum locum ad ferenda suffragia  
conueniebat. Calo enim est uocare. Comitia præterea à  
coēndo, hoc est, cōueniendo dicta sunt. Justinianus lib.2.  
Institutionum, tit. de testamentis ordinandis: Testamēto  
rum, inquit, duo genera in usu fuerunt, quorum altero in

pace & otio utebantur, quod calatis comitijs appellabant, id est, ad cuius solennitatem requirebatur populi uocati consensus. de reliquo lege ibidem.

CALCARIA est fornax, ubi calx ex coctis lapidibus conficitur. Vnde Plin. in histo. natu. scribit, oliuas cinere ex calcarijs lætari. Imperator in ti. de pœn. l. aut damnū, pro fodina posuit lapidum, ex quibus igni resolutis calx ipsa conficitur: nam de damnatis ad metallum loquitur, sunt autem lapides in genere metalli. Nam quod Accursius dicit calcariam esse opus calcandi terram, etiam pueri qui nondum æte lauantur, intelligunt esse perinane.

CALCVLATOR proprie dicitur, qui per lapillos rusticorum more cōputat, nam calculus est lapillus: unde calculare, per lapillorū signa cōputare. Martial. Nec calculator inquit, aut notarius uelox. eosdē appellamus & calcularios. Modest. lib. 37. dige. de excus. l. spadonū. Neq; calcularios, inquit, quos uulgò ratiocinarios dicimus.

CALENDARIVM, liber erat rationum, non qua-  
rūcunq; sed earum tantū, quæ ad fœnus pertinebāt, & in  
quo debitorū nomina scribebantur: dictum calendarium,  
quia primo cuiusq; mensis die, hoc est Calendis, pecuniæ  
dabantur fœnori, & exigebantur cū usura. Ouid. Si pu-  
teal Ianūq; times celeresq; calendas. celeres dixit, quia de-  
bitoribus cito redire uidetur terminus debiti soluēdi. Ho-  
ratius: Qui nisi cum misero tristes uenere Calēdæ. tristes  
autem ab effectu uocauit, quæ debitorem faciunt tristem.  
Idem quoq; in Epodo de Alphio fœneratore: Omnē re-  
degit Idibus pecuniā, querit Calendis ponere, scilicet ad  
usuram. Seneca lib. primo de beneficijs: Nemo beneficia  
in calen-

in calendario scribit, id est, in libro fœneraticiarum rationum, ut inde sortem cum usura recipiat. Idem in quinto eiusdem: *Quid fœnus & calendarium & usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina?* Atq; adhuc in epistolis: *Forum conterit, calendarium uersat,* fit ex domino procurator. *Sæcuola libr. 33. digest. titu. de fundo instru. l. nepoti. Legauerat, inquit, prædia ut stru* Et a sunt cum uino, grano, calendario. Item Aphricanus delegatis tertio. l. qui filium. Certa prædia nepoti per fideicommissum dederat, excepto calendario. Atque ibidem l. nomen. Nomina, inquit, ex calendario quæ elegerit. Accursius nomina debitorum calendarium interpretatur, uerè quidem, non sufficienter: neque enim quodcunque debitum uenit appellatione calendarij, sed tantum quod ex fœneratione conflatur.

CALIGATVS miles dicebatur, qui erat manipularis. Manipulus autem exercitus. Varro de lingua Latina appellat minimas manus, quæ unum sequuntur signum. ex manipulis autē cohors componitur. Caligatus autē dicitur à caliga, hoc est, tibiali siue ocrea, quod erat crurū armatura, de qua Tranquillus in uita Caij Cæsar: Caligula, inquit, cognominatus est, quia manipulari habitu est inter milites educatus. De milite igitur caligato, hoc est, manipulari siue infimæ conditionis, dixit Iuuenalis: Cum duo crura habeas offendere tot caligatos. Quintilianus in declamationibus. Parere caligatum tribuno lex iubet. & paulò post: Commendem tibi ordinem caligati militis. Vlpianus in titulo, de ijs qui notantur infamia. Ait, inquit, Prætor, qui ab exercitu dimissus erit, dimis-

*sum accipere debemus militē caligatum, uel si quis alius usque ad centurionem uel præfectum cohortis, uel alæ, siue legionis. Item de custodia & exhib. reorum. l. de militibus. & de re militari. l. omne delictum.*

**C A M E L A S I A**, siue camelaria, est curatio camelorum, qui publice & ad usus publicos alebātur: & Camelarij ipsorum camelorum curatores, quorum duo sunt genera, alterum bactrianū, quod unum tantū habet tuber, alterum arabicum, quod duo tubera in dorso habet. eosdem & dromedarios ob uelocitatem cursus uocant. Arca dius lib. 50. tit de muneribus. l. munerū. Camelasia, inquit, personale munus est. Et ibidem de camelario.

**C A N N A B I S** herba est & materia netilis, ex qua non modo texta fiunt, sed etiam funes torquentur. Vnde Persius: *Tibi torto cannabe fulto Cœna sit in transtro.* Vlpianus libr. 14. de exercitoria actione. l. j. Præpositus, inquit, est legumini & cannabi.

**C A N C E L L I** sunt ligna inter se modicis interualis in transuersum connexa, quibus tribunalia, scænæ, & fenestræ muniri consueuerunt. Cicero in Verrem: Circundati cancellis uidentur in sua prouincia. Idem primo de oratore: Forensibus cancellis circumscripam sententiam. utrumque per translationem. Sed proprie Sidonius libro primo de turba satellitum Theodorici regis: Exclusa, inquit, uelis, inclusa cancellis. Canticorum capi. secundo, Hiero. interprete: Respiciens, inquit, per fenestras, prospiciens per cancellos. id est, per foramina cancellorum. Huiusmodi quoque fenestræ Clatratae dicuntur. Aphricanus libr. 30. qui est de legatis primus. l. cætera. Si cancelli

cancelli, inquit, sint, uel uela. Item titulo de fundo instru-  
cto. l. quæ situm. Cancellos quoque instrumento contineri  
puto. & alijs in locis.

C A N C E L L O as, uerbum uidetur esse ductum à can-  
cellis, in quibus ut transuersaria necuntur ligna, ita cum  
scripta expungenda sunt, transuerso calamo lineæ indu-  
cuntur: quod proprie illinere, siue allinere est. unde litu-  
ra. Horatius in arte poëtica: Incomptis allinet atrum  
Transuerso calamo signum. ac si dicat, cancellabit. Vlpia  
nus libro 28. titu. de ijs quæ in testamento delentur. l. can-  
cellauerat quis testamentum uel induxerat. & ibidem. l.  
proxima: Si omnem scripturam cancellasset. Item lib. 22.  
titulo de probationibus. l. si chirographum cancellatum  
fuerit.

C A N T H A R I S, cantharidis, scarabei quædam spe-  
cies oblongioris est, maculas rubras transuersarias habēs,  
Hispanè in Bætica mea cubiculas uocant, alijs in locis  
Abadeios: in quo falluntur tempestatis nostræ medici,  
pro cantharidibus utentes quibusdam uermiculis ad mu-  
scarum similitudinem. Plinius libro 18. Est, inquit, cantha-  
ris dictus scarabeus paruus. Galenus præterea de medi-  
cina simplici: Cātharidum, inquit, siue scarabeorū. Nam  
cantharus est scarabeus, cantharis uero scarabei habens  
effigiem. Marcellus libro 48. titulo ad legem Corneliam,  
de sicarijs & ueneficis. l. eiusdem. Et quòd quis, inquit,  
lustramenti causa dederit cantharidas.

C A N T H A R V S uas erat, quo utebantur in sacris  
Liberi patris, habens ansas, atque ut ait Acron, patulum  
erat. Virgilius in Buco. Et grauis attrita pendebat can-

*tharus ansa.* Plinius libro 33. *Cantharis potasse exemplo Liberi patris traditur.* Est præterea *cātharus illud aquæ conceptaculum*, unde salientes erumpunt, quemadmodū apud Aphricanum libro 30. dig. tit. de legatis primo. l. cæ tera. *Canthari*, inquit, per quos aquæ saliunt.

**C A P I T A L E** odium, capitale supplicium, capitalis morbus, quod caput alterius, id est, uitam petit. Capitalis homo, & capitale crimen, propter quod caput committentis peti debeat ad pœnam. Festus Pompeius: Capitalis, inquit, lucus est, ubi si quid uiolatum est, capite uiolatoris expiatur. Cicero de senectute: Nullam capitaliorem pestem, quam uoluptatem corporis hominibus à natura datam. Paulus libro 48. de publicis iudicijs. l. publicorum. Capitalia, inquit, iudicia sunt, ex quibus pœna, mors, aut exilium est. hoc est aquæ & ignis interdictio: per has enim pœnas eximitur caput de ciuitate.

**C A P I T I V M** est capitis tegmen, ut inquit Nonius, citatq; Varronem in quarto libro de uita patrum. In libro tamen de origine lingue Latinæ, ab eo capitum dici putat, quod capit pectus, id est, ut aliqui putat, indutum comprehendit. Job cap. 30. Quasi capitio tunicae succinxerunt. ubi interpres capitum pro collario uidetur accipere. Vlpianus libro 34. de auro & argento legato. l. ueſtis. Muliebria, inquit, sunt, ueluti stolæ, pallia, tunicae, capitia, zone.

**C A P I T V L V M** à Plinio libro tertio naturalis historiæ, est oppidum Italiæ: unde possessuum gentile ponitur, capitulensis. Paulus libro 50. digest. tit. de censibus. l. fina. Similes sunt Capitulenses.

CAP

C A P S A R I I dicuntur, qui filijs nobiliorum ciuium ad scholas euntibus, libros deferunt in capsula. Iuuenalis de seruo capsario: *Quem sequitur custos angustæ uer-nula capsæ.* Suetonius in Nerone: Constat quosdam cum pædagogis & capsarijs uno prædio pariter necatos. Vl-pianus libr. 40. tit. de manumiss. uin. l. si collactaneus. ubi exprimitur capsarij officiū, id est, qui portat libros. Item de iure immunitatis. l. quibusdam.

C A R E V M genus est aromatis myropolis cognitū, nobis uero incognitum, quippe quod peregrinum sit. Plinius lib. 19. Peregrinum, inquit, est careum gentis suæ no mine appellatum, culinis principale. Galenus ad Pater-nianum, cap. de careo. Utitur eo quoque Apicius de re coquinaria. Paulus libro 33. digestorum, tit. de penu legata. l. non omne. Sed quod quidam negauerunt piper ligusticum careum, & laſer, eiusmodi in penu non esse, improbatum est.

C A R R V M siue carrus & Carruca, plausta sunt oneraria: hoc est comparata ad ferendum tantum onera. Cæsar in primo comment. Iumentorum, inquit, & carrorum quam maximum numerum coëmere. In commentario quoque Hispaniēsi: Per uiarum angustias carra complura. Martialis: O iucūda Couine solitudo Carruca ma gis effedoq; gratum. Consultus libro 39. titulo de donationibus. l. si id. Vel grex, ait, uel carrum, uel Carruca. Item Scæuola, titulo de auro & argento legato. l. uxori. An Carruca dormitoria debeatur.

C A R T H A G I N I E N S E s post n. literam per i, nō Carthaginenses i litera disiuncta, ut nunc uulgas loqui-

tur, debere scribi et proferri ad stipulantur Florentinorum Pandectae, in quibus quoties Carthaginiensium fit mentio, sic scribi adnotauit Lodouicus Bononignus, data sibi copia libros illos saepe legendi. Sed et Priscianus lib. quarto de octo partibus orationis: Si nomina, inquit, sunt tertiae declinationis, ab iungiunt s, extremā genitiui, et assument ensis, ut pistor pistoris pistoriensis: Carthago carthaginis carthaginiensis: hoc est sex syllabarum. Atque ita in omnibus codicibus uetustis propè semper legitur. Ostendit hunc locum primus omnium Laurentius Abstemius, atque ab omnibus uiris doctis eius inuentio est admissa.

CASSIOPA ciuitas et promontorium est Epiri, Strabone, Ptolemæo, Plinio, atq; alijs autoribus. Vlpian. 12. libro digest. titulo de exercitoria actione, lege prima. Sunt, inquit, naues quæ à Brundusio, uel à Cassiopa, uel à Durachio uestores traiunt.

CASTELLVM est aquæ conceptaculum, unde ex aquæ ductu publicitus distribuenda est per urbē aqua. Festus ab antiquis ait, castellum diuidiculum fuisse appellatum, ex eo dictum, quod inde aquæ diuiderentur. Apud Plinium, Vitruvium, et Frontinum, de aquæ ductibus, saepe castellum in ea significatione legimus. Aphricanus de leg. primo. l. cætera. Si cancelli, inquit, sint, uel uela, legari poterunt, non fistule uel castella. Item libro 43. de aqua cotidiana. l. prima, quid sit, Vlpianus satis clare interpretatur: Ex castello, inquit, id est, ex eo receptaculo quod aquam publicam suscipit. Castellanos Frontinus quoq; illos appellat, qui castellorum curam gerunt.

CATA

C A T A D R O M V S interpretatur *de cursu*, nam *catadromeo* est *de curro*, *de cursu* autem per *catadromum* non sine *periculo* erat, quod & *Iurisconsultus* significat libr. 19. *digestorum de actionibus empti*. l. si *seruus tuus*. Eum, inquit, fuisse *seruum*, qui per *catadromum* descendere, aut in *cloacam* demitti solitus esset. *Suetonius in Nerone*: *Notissimus eques Roman. elephanto supercedens* per *catadromum* *decurrit*. Quod autem *ludicri genus catadromus* esset, nemo dicit, quod ego sciam, neque ausim diuinare.

C A V M A , atis, *calor* siue *incendium* interpretatur, *cauo enim* est *calefacio* siue *incendo*. *Vlpianus de legatis primo*. l. cum res. Si *fundus*, inquit, *caumate* perierit. Atq; aliubi: *Prædia*, inquit, quæ *caumate* perierūt. Atq; adhuc alibi: Si *caumate* alio'ue *casu* pars *fundi* perierit. quibus in locis *casma* pro *caumate* legitur. *Chasma* nanque per ch *aspiratum* aliud significat: hoc est *cœli hiatum* siue *recessum*. Autores sunt, *Aristoteles in Meteorologicis*, *Plinius in secundo natur.hist.* *Seneca in primo naturalium questionum*. *Seruius libro nono Aeneid.*

C A V I L L A T I O , inquit *Nonius Marcellus*, est iocosa *calumniatio*, & *cauillari*, *iocari*. *Valla*: *Cauillatio*, inquit, est subdola quedam ratio, quam nos conscijs nobis mendacij, uincendi causa proferimus. *Vlpianus titulo de uerborum significatione*. l. *natura cauillationis* &c. Item de *regulis iuris*. Ea, inquit, est *natura cauillationis*, quam *Graci scomma uocant*.

C A V P O , dicitur *proprie* qui *uinum uendit*: *caupo* na uero est mulier quæ *uinum quoque uendit*. Est etiam

*caupona* locus in quo uinum uenditur, auctor est Priscianus. Apuleius libro primo de asino: De quadam, inquit, amica caupona ilico percontor . Gellius libro septimo: *Quod in caupona delitesceret, quod ad uesperam perpotaret.* Apud iurisconsultos titulus est libro 47. digestorū, furti aduersus nautas, caupones, & stabularios . ubi ea propemodum quæ apud Horatium in primo sermonum, leguntur.

*C A V S A R I I* dicuntur, qui causam habēt ex morbo ut muneribus uacent. Liuius libro sexto ab urbe condita. Tertius, inquit, exercitus ex causarijs & senioribus. Seneca libro sexto epistolarum. In animo nostro sunt quasi causariæ partes quibus adhibenda curatio est . Spartianus in Hadriano: Omnes causarios subleuauit. Plin. libro 25. Causarijs uel latere uel faucibus. Martianus libro 49. titulo de re militari.l.milites. Causaria, inquit, missio est, quæ propter ualetudinem laboribus militiæ soluit. Modestinus de excusationibus: Propter ægritudinē, inquit, causariam uocatam, causariam remissionem acceperint.

*C A V S O R*, aris, est causam rei gestæ afferre siue excusationem. Quintilianus: Ne causanti pupillo sic tutor irascatur . Virgilius in Bucolicis: Causando nostros in longum ducis amores. Vlpianus libro 40. titulo de fideicommiss. lib.l.generaliter. Neque enim causari debere quo minus illi relictum sit.

*C A V T E R I V M*, ferramentum est chirurgicum ad inurendum uulnera. Est præterea cauterium instrumentum pictorium, quo utuntur in ea pictura, quæ dicitur encaustice, de qua Plinius lib.35. & Martialis: Encaustus Phaëton

phaëton tabula tibi pictus in hac est. Quid tibi uis Di=pyron qui Phaëtonta facis? De eadem quoq; Ouid. dixit: Tabulasq; coloribus uris. Martianus de fundo instructo. l. pictoris. Peniculi, inquit, & cauteria & conchæ. ubi mendose pro cauteria, cautheriæ legitur.

C E D E R E diem, significat incipere deberi pecu=niā. Venire diem, significat eum diem uenisse, quo pecu=niā peti possit. Ex Vlpiano in tit. qui est de uerb. oblig. l. cedere diem. Cedere possessionem uel usumfructum, uel ius, est alteri possessionem, uel usum, uel ius tradere. Am=brosius ad Marcellum: Quid sibi profuturum quòd iura possessionis cederes. Virg. ii. Aeneid. Cedat ius propriū regi. Idem in tit. de leg. ij. l. & similiter. Si usumfructum, inquit, mortis causa cessero. Et in tit. de acq. poss. sēpe.

C E L L A R I V M , dicitur locus à reponendis celan=disq; esculentis poculentisq; dictus. Apud Columellam de re rusti. caput est quo pacto uillica tractare debeat cel=laria. Iurisconsultus de leg. iij. Cellarium, inquit, iunctum eidem dietæ. Cellarius uero est qui cellæ uinariae præser tim præponitur. Plautus in captiuis: Sume, posce, prome quiduis, te facio cellarium. Vlpia. lib. 33. de fundo instru. l. quæsitum. Cellarium, inquit, id est, qui ideo præpositus est, ut rationes saluæ sint. Et aliubi sēpe.

C E N O T A P H I V M interpretatur inane sepul=chrum, id est, quod sine cadauere in memoriam tantum defuncti constructum est: quale apud Virg. iij. Aeneid. Hectoreum ad tumulum uiridi quem cespite inanem. Vl pia. lib. ii. de religiosis &c. l. uel quæ. Si cenotaphium, inquit, sit, uenire dicendum est. & infrà l. monumentum.

D

**M**onumentum, inquit, memoriae causa factum, quod Græcè cenotaphium dicitur. Et tunc scribitur per e simili-  
cem. Nam per ædiphthongum, significat cœnotaphium  
nouum sepulchrum, quale fuit illud in quo Saluator no-  
ster fuit sepultus, de quo in Euangel. Sed per ædiphthon-  
gum, Cœnotaphium significat commune multorū sepul-  
chrum, quod Græcè polyandron quoq; dicitur. Taphos  
nanq; sepulchrū interpretatur. Cenos autē sine diphth.  
uacuus, cœnos per ædiphthongum significat cōmune.

**CENSEO** es, est arbitrari, unde censores dicti, ad  
quorum censionem, id est, arbitrium censeretur populus,  
ut scribit Varro de lingua Latina. Festus quoq;: Censo-  
res, inquit, dicti sunt quod rem suam tanti quisq; æsti-  
mare solitus sit, quanti illi censuerint. Hinc dicūtur Cen-  
siti, quorum res est æstimata certa quadā summa & per  
eam in classem suam redacti, qui etiā Opitecensi, id est,  
opibus censiti dicebantur: & Capitecensi, qui nullo aut  
paruo ære censebātur. Autor est Gel. lib. 15. & Valerius  
ubi de Mario. In codicis Iustiniani lib. 11. tit. est de agri-  
colis censitis, & infrà, In quibus causis coloni capite cen-  
siti dominos accusare possunt. Pomponius tit. de acquirē-  
do rerum dom. l. ergo. Censitorum, inquit, uice fungitur.

**CENTONES** sunt cilicia ex pilis caprarū, siue pā-  
ni crassiores ex lana diuersorum colorum consuti. Plaut.  
in Epidico. In alium queras cui centones sarcias. Iuuenal.  
Intrauit calidum ueteri cētones lupanar. Cato de re rust.  
Prius ueterem sagam accipito, unde fiant cētones. De hu-  
iusmodi rusticis centonibus loquitur consultus Vlpianus  
lib. 33. dig. de fundo instru. Cētones, inquit, funes pertice.

Accur

*Accursius Vgutij autoritate, cētones interpretatur puluinaria, id est, opus factum ad modum puluinariū. Quid uero per puluinaria ipse intelligat, ego non uideo, cūm autore Seruio puluinaria sint lectuli qui sterni templis consueuerunt. Principū quoq; puluinaria dicūtur, ut apud Iuuenal. Lupanaris tulit ad puluinar odorē. Catullus quoq; de nuptijs Pelei: Puluinar uero diuē geniale uocatur.*

*C E N T U R I O miles dicebatur qui praeerat centum militibus, & cohors illa cui praeerat, appellabatur Cētria. Centurionis insigne, uitis erat, siue sarmentū ex uite. Plinius: Centurionū, inquit, in manu uitis. Iuuenal. de Mario sub cēturiōne cōstituto: Nodosam post hæc frāgebat uertice uitem. Lucanus in σ. de Lælio centuriōne: Latiā longo gerit ordine uitē. Et Silius lib. σ. Leuinus ab alto Priuerno uitis Latiae præsignis honore. Et Martialis: Varre Paretonias Latia modo uite per urbes. De uite quoq; centurionū meminit Iuriscōsultus lib. 40. dig. ti. de re milit. l. milites agrū. Si uitem tenuit, militiam mutat.*

*C E R T A M E N pro ludo in quo est contentio, ubi etiam uictori ab agonotheta præmium proponitur. Scæuola tit. de annuis leg. l. liberto. Certamina, inquit, sub nomine ipsius celebrarentur. id est, ludi.*

*C E R T I O R E M facere quempiam eleganter dicitur, & non facere certum. Nam quod Virg. in Aeneid. dixit: Anchisen facio certū. carminis necessitate excusatur, quod certiorē in uersu nō potuit collocare, quoniā syllaba brevis est inter duas longas, quod heroicū carmē refomidat. Utūtur Iuriscōsulti hoc uerbo Certioro, as, quod apud eos qui pure loquūtur in usu nō est. Vlp. lib. 27. dig.*

de eo qui pro tutore. l. j. Sed necessarios, inquit, pupilli non certiorauit. Idem quoq; lib. 17. tit. mandati. l. si fideiussor. Cum certiorare posset, inquit, eum, non fecit. Certifico uero et certificatio nusquam quod meminerim legitur, nisi in lib. dig. tit. de excusationib. Honores, inquit, et immunitates certificauit scribens. Item de pignoribus et hypothecis. l. cum tabernam. quae est Scæuolæ, lib. 20. dig. Non certificationem, inquit, sed suppositionem à me accipere.

C E R V I S A, uel ceruisia, uel ceruisum, potio est ex hordeo siue tritico, siue ex pane concinnata, et est ferè quam sacræ literæ ex Hebraeo sermone interpretatur Siceram, et idem quod zithum. Sicera uero, Hierony. ait, est omnis potio quæ potest inebriare, præter uinum. Vlpia. lib. 33. dig. de tritico et uino leg. l. si quis. Nec canū, inquit, nec ceruisa cōtinebitur. Et paulò ante. Certe zithum quod in quibusdā prouincijs ex tritico uel ex hordeo, uel ex pane conficitur. Strabo lib. 27. in descriptione Aegypti, scribit commune illis populis esse poculum et fieri modis uarijs. appellatur autem à Græcis zithum, ab interprete ceruisum.

C H A R A C T E R, eris, interpretatur figura, uel signum, uel forma. Cic. ad Brutum in oratore: In omni re difficillimum est formā, quæ character Græcè dicitur, expōnere. Sed et stili genus character ab autoribus dicitur. Vlpia. lib. 28. dig. tit. de testa. l. ad testiū. Dum tamē, inquit, habuerit characteres. dixit pro figuris literarum.

C H A R T A est pagina scriptioni apta, ex quacunq; materia illa sit, siue ex plumbo, siue ex cortice, siue ex linteis, siue ex papyro, siue ex corio, quæ dicitur membrana.

De char

*De chartarum generibus Plin. multa lib. 23. Natur. hist. Vlpia. tit. de leg. iij. l. librorum. Librorum, inquit, appellatione omnia uolumina continentur, siue in charta, siue in membrana sint, siue in quauis materia: neq; enim membrana excluditur à chartæ appellatione, cum charta mē brana appellatur. Idem quoq; ibidem: Si quis, inquit, chartas legauerit puras, membranæ non continebuntur. quasi dicat, nisi addatur, charta membrana. Idem quoq; Vlpia. tit. de bonorum posseß. secundum tab. l. chartæ appellatione, etiam ad nouam chartam refertur.*

*CHIROGRAPHVM, est pictura ex manu propria, quam autographum etiam appellant. Sueto. in Augusto: Nihil æquè elaborauerat, quām ut imitarētur chirographum suum. Differt autem chirographum à syngrapha, quòd in chirographo tantū quæ gesta sunt scribi solent, in syngrapha etiā contra fidem ueritatis pactio scribitur. Idem in eodē: Cuius pacti non dubitauit à quibusdam iusjurādum, à quibusdā syngrapham petere. Per syngrapham intelligit Sueto. chirographū propria eorū qui paciscebantur manu scriptum, in quo talis pactio scripta erat, nec negare possent. Paul. lib. 42. dig. tit. de priuilegijs cred. l. bonis. à chirographo chirographarium formauit, quod significat eum qui à debitore autographum debiti habet. Chirographarijs, inquit, creditoribus.*

*CHOMA, atis, ex Græco interpretatur agger, eris. Est autem agger, ut inquit Seruius in illud Virgil. 10. Aeneid. Atq; ipsis prælia miscent Aggeribus. terra illa quæ facto uallo proprius ponitur. Vnde tit. est apud Iurisconsultos de aggeribus Nili non rumpendis. Illi igitur*

*aggeres proprie dicuntur chomata Græce.* Vlpia.lib.47.  
dig.tit.de extraordinarijs criminibus.l. saccularij. Cho-  
mata, inquit, sunt aggeres qui solent aquam Niloticam  
cōtinere. Et ibidem sēpe. Vbi semper pro choma per ch  
et o longum, coma, atis, per c, exile mendosè legitur.

**C H R Y S A M O S** Græcè dicitur, quam ut ait Plin.  
Hispani balucam appellant, de qua satis multa scripsi-  
mus in uerbo baluca, dicta à chryssos siue chrysion, quod  
est aurū. Iustiniani codicis lib. ii. tit. de metallarijs. Octo-  
nes, inquit, scrupulos in baluca, quæ Græcè chrysamos di-  
citur. Accursius non minus in chrysami delirat interpre-  
tatione quam suprà fecerat in baluca: Chrysamos, in-  
quit, Græcè: Latinè utilitas, ut sit chrysamos, id est, in uti-  
litate publica: cum tantum distet chrysamos à chresmos  
quod interpretatur utilitas, quantum Thais ab Hermio-  
ne. Illud nanq; per ypsilon, hoc per eta scribitur.

**C I D O N I V M** mālum, idem est quod cotoneum, et  
uinum cidonium, quod ex malorum cidoniorum confici-  
tur succo. Vlpia.tit. de uino et tritico leg.l. si quis. Ci-  
donia, inquit, et si qua alia sunt uina, quæ non ex uine a-  
fiant. Ea uero, ut diximus, sub ceruisia siue zitho conti-  
neri uidentur.

**C Y M B I V M** poculi quoddam genus est, dictum à  
similitudine cuiusdam nauigij. Est autē cymbium in for-  
ma diminutionis ab eo quod est cymba. Virg. Inferimus  
tepidi spumantia cymbia lacte. Paul.34.dig.tit. de auro  
et arg.leg.l.pediculis. Cymbia, inquit, argentea crustis  
aureis illigata.

**C I L I C I V M** proprie dicitur textum ex lana ca-  
prina

prina, ad usum maxime tentiorum, siue castrorum, ut dicit Virg. lib. 3. Georg. Vnde cilicina saga fiebant ad pluvias arcendas. Exodi cap. 25. Facies, inquit, & saga cilicina undecim ad operiendū tectum tabernaculi. Vegetius quoq; lib. 4. de re militari, saga cilicina prætendi præcipit, ad excludendos impetus sagittarum. Vlpia. lib. 33. dig. tit. de fundo instructo l. instrumenta. Vela, inquit, cilicina instrumenta esse Cassius ait, quæ ideo parantur, ne ædifica uento laborent.

CINGERE arborem est illam deglabrare, siue delibrare, hoc est decorticare, siue corticē detrahere, encernadar Hispani dicunt, quo facto arbores inarescūt. Paul. lib. 47. dig. tit. arborum furtim cæsarum. l. cædere. Cingere, inquit, arborem, est illam deglabrare. Item infrà l. furtim. & Alphenus lib. 19. dig. tit. locati & cond. l. in legelocationis. Né ue quem cingere, cædere, urere finito.

CIRCEIENSIS, e, nomen possessuum gentile ab eo quod est Circeij, orum, oppido Italie in Latio ueteri, atq; promontorium eiusdem nominis, quondam insula, ut inquit Plinius autoritate Homeri, uasto mari circūdata. Hic Circe uenefica illa decantatissima regnasse dicitur, quo tempore Vlysses orbem pererrabat. Hinc Plinius de ostreis: Cādidiora, inquit, circeiensibus. Liuius: Circeiensium quidā cogniti & coloni à Velitrīs. Paul. lib. 22. dig. tit. de iuris & facti ignor. l. regula est. Ad opus, inquit, aquæ ductus reipub. Circeiensium.

CIRCENSES ludi appellantur qui in circo magno Romæ fiebant, atque inde dicti ea forma qua ab Hispali Hispalensis. Ex quo Seruij grammatici,

*& quorundam aliorum error conuincitur, qui putat circenses ludos esse dictos, quod ubi suo tempore metæ fuerunt, olim gladij ponebantur, quos circuibant: unde ludi circenses, quasi circum enses.* Virg. lib. 8. Aeneid. Magnis Circensibus actis. Et Iuuenalis: Si potes auelli Circensibus optima Soræ. Hermog. lib. 50. dig. tit. de muneribus. l. j. Equorum, inquit, circensium spectacula. Et Paulus lib. 30. dig. qui est de legatis primus l. ciuitatibus. Ludos, inquit, scænicos uel ludos circenses.

CIRCITORES dicuntur, qui uigilias nocte circumueunt. Hispani rondas uocant. Veget. lib. 5. de re militari. Tribuni, inquit, eligunt qui uigilias circueunt, ut res nuntient si qua emerserit culpa, quos circitores appellat, nunc militiae factus est gradus. Ouid. in Priapeia: Quid mecum tibi circitor moleste? Ad me quid prohibes uenire furem? Ulpianus lib. 14. dig. tit. de institoria actione. l. quicunq;. circitores uocat, qui circumferunt merces per uicos & urbes, uendendi causa.

CIRCULATORES circunforani dicuntur qui publicè officias quasdam & præstigias faciunt, ut uideantur deuorare gladios, & irritare serpentes, & talia quædam facere. Apuleius in primo de asino: Circulatorem aspexi equestrem spatham præacutam mucrone infesto deuorasse, ac mox eundem inuitamento exiguae stipes uenatoriam lanceam qua parte minatur exitium, in imo uiscera condidisse. Paulus lib. 42. digest. titu. de extraordinarijs criminibus. l. In circulatores qui serpentes circumferunt & proponunt, si cui ob eorum metum damnum datum est.

CIR

CIRCVNSCRIBERE est fraudibus cauillationibusq; in iudicio uti, ut causam obtineas, uincasq; aduersarium. Ambrosius in Luc.ca.quarto: Utitur diabolus testimonijs scripturarum, non ut doceat, sed ut circunscribat & fallat. Idem ad Constantimum: Nec quisquam aut uiduam spernat, aut circunscribat pupillum. & ibidem: Quid circunscribitur frater? fraudatur mercenarius? Inde circumscriprio. Idem Ambrosius ad Irenaeum: Omnia plena fraudis, plena circumscriptionis. Et circunscriptor, oris. Iuuenalis: Pupillum in iura uocantem Circumscriptorem. Julianus libro 44. titulo de exceptionibus.l.exceptiones. Quæ minori, inquit, uigintiquinq; annis circumscripto.

CIRCVMVENIRE in eadem propè significatione accipitur, qua circunscribo. unde illi proprie dicunt circumuenti, quos grassatores quasi ex insidijs adoriantur. Cæsar in cōmentario Hispaniensi: Cum undiq; se circueuiri animaduertisset. Ambro. in illud euange. Reddite quæ sunt dei deo: Nec interest apud deum utrū ui aut circumuentione res alienas occupet. titulo de doli mali.l.apud Celsum.

CISTERNA, pluuialis aquæ conceptaculum est, dicta, ut inquit Festus, quòd inest in terra. Martialis: Sit cisterna mihi quam uinea malo Rauennæ. Vlpianus lib. 43. dig. de fonte deducendo.l.j. Cisterna, inquit, nō habet perpetuam causam, nec uiuam aquam. Sed si uinum condatur in conceptaculo cisternæ simili, cisterna quoque per translationem potest appellari. Vlpianus lib. 47. de furtis.l.uulgaris. Et quidem, inquit, si cisterna uini sit.

CITREAE mensæ, id est, ex citri materia, celebratur apud autores, & fuerunt in tanto precio, ut cum aliquando uiri obiecissent fœminis nimios sumptus, quos in coemendis margaritis faciebant: & uos, inquit, mensis citreis utimini. Sed cum apud omnes constet, citrum arborum & mala citrea esse quæ postea cœpta sunt cognominari mala rancia, quorum materia neq; firma neq; odorata, neque quicquam habens quod laudabile sit, suspicor aliquid erroris subesse circa has arbores iam inde ex antiquitate contractum, ut citrum uidelicet pro cedro accipiatur, hoc est, alerze, cum præsertim arbor illa sylvestris sit, copioseq; proueniat in monte Atlante. Vnde Martialis de mensa citrea dixit: Accipe felices Atlantia munera syluas. Idem aliubi: Cum possint Libycas sustinuisse trabes. Paulus libro 19. digestorum, de actione empti & uenditi. l. si sterilis. Veluti si mēsas quasi citreas emat, quæ non sint.

CLANDESTINVS, na, num, à clam particula derivatur, notamq; habet significationem, neque ob aliam causam hoc in loco posuimus, nisi quod uulgò accentu barbaro ab omnibus profertur, hoc est accentu in antepenultima, cum penultimam habeat longam, & iuxta regulas latinæ linguae in eadem accentus debeat collocari. Quod uero penultima sit longa, probatur carmine Manili in primo Astronomicō dicentis: Et clandestinis surgentia fraudibus arma. Silius quoq; Italicus in libris Punicorum: Ceu clandestino traheretur fœdere bellum.

CLAVVS in ueste erat uerruca ex auro, uel ex cocco, aut alijs coloribus uesti intertexta, ad ipsius uestis splendorem

dorem adhibita. Quintilianus libro octavo: Ut affert, inquit, lumen clavis purpuræ solo insertus. Hinc et laticlavij et angusticlavij dicebatur ab antiquioribus, qui poterat huiusmodi genere uestium uti. Varro de lingua Latina: Si quis, inquit, tunicam ita consuat, ut altera plaga sit angustis clavis, altera latis, utraque pars carebit analogia. Suetonius in Augusto: Vsus est togis neque restrictis neque fusis, clavo neque lato, neque angusto. Vlpianus libr. 34. de auro et arg. lega. l. cum aurum. Clavis aurei et purpuræ pars sunt umentorum.

**C L A V V S** morbus est in similitudinem tuberculi coloris albi: fit in plantis digitisq; pedum maxime. Celsus libro quinto de clavo eiusq; curatione multa ponit: Clavis, inquit, nonnunquam etiam alibi, sed in pedibus maxime nascitur, sed præcipue ex contuso: à Græcis helos dicuntur, ut apud Galenum libro decimo et undecimo, de medicina simplici. Hoc morbo perijt Silius Italicus, ut autor est Plinius Cæcilius in epistolis. Vlpianus libro 21. titulo de ædili. edicto. l. qui clavum. Qui clavum, inquit, habet, morbosus est.

**C L I V O S A** dicuntur loca in sublime clementer surgentia, nam clius est montis latus. Vnde declivis ex monte descendens, acclivis ad montem ascendens. Virgil. primo Georg. Cliuosi trahitis undam Elicit. Et Iuuenalis: Cliuose ueheris dum per monumenta Latinæ. Vlpianus libro 43. titulo, ne quid in loco. l. prætor. Via cum plana fuerit, si cliuosa fiat.

**C L O A C A** aliœus est per medium urbem in quem latinarum fôrdes confluunt. Itaque latrinae sunt quemad-

modum Hispani dicunt, priuatæ : dictæ ab eo quod latéant, Cicerone autore. Cloacæ uero sunt publicæ, quod eleganter Columella uno uersu expressit, dicens: Immunis quæcunque uomit latrina cloacis. id est, quod ex fôrictis priuatis fôrdes confluunt in cloacas publicas, et inde emittuntur extra urbem. Vnde Iuuena. de Tiberino pisce dixit: Pinguis torrente cloaca. Vlpianus libro 43. de cloacis. l. i. Cloaca est, inquit, locus cōcauus, per quem colluuius quædam fluat. Inde cloacarius qui cloacæ curā habet. Vlpianus libro septimo de usufructu, et quemad modum quis utatur. l. si pendent es. Si quid, inquit, cloacarij nomine debeatur.

**C O A L L V E R E** est per alluisionem aliquid augere. Pomponius libro 41. titulo de acquirendo. l. ergo. Pau latim aliquid coalluendo locum eminentem supra alueum fecit, et eum alluendo auxit.

**C O C C U M**, est granum quod in quisquilia inuenitur frutice, grana Hispani appellant, unde purpura adulteratur. Plinius libro nono: Coccum Galatiæ rubens granum, aut circa Emeritam Hispaniæ in laude est. Idem libro 16. Quercus dotes ilex solo prouocat coco. Granum hoc, primoq; ceu scapus fruticis paruae aquifoliae ilicis. cusculum uocant: pensionem alteram tributi pauperibus Hispaniæ donat. Vlpianus libro 32. digestorum, qui est de legatis tertius. l. si cui. Purpura, inquit, et coccus quia nihil natiui coloris sunt, contineri arbitror. Quod Accursius exponens nescio quas nugas affert: Coccus, inquit, bis tinctum in constructione tabernaculi erat quidam pannus sericeus duorum colorum, et uidetur

*detur extra uiridis, et intraruber.*

**C O E L I A C I** dicuntur fluxu uentris laborantes, qui à Latinis aluini dicuntur. Nam cœlia Græcè, Latinè interpretatur aluus. Consistit autem morbus ille in uentri=culi porta, quæ à Græcis piluros dicitur. ex Cornelio Celso lib. quarto. *Iuris consultus in tit. de ædilitio edicto.*

**C O E M I T E R I V M** interpretatur dormitorium, dictum à cœmomæ quod est dormio, non cimiterium quemadmodum uulgs nunc loquitur. Conditoria uero siue sepulchreta mortuorū in nostra religione dicuntur cœmiteria, id est, dormitoria, quoniam propter spem re=surrectionis, mortuos consueuit dormientes appellare, et eosdem dormire in domino.

**C O E N A C U L V M**, inquit Valla, et si formam di=minutiui habet, diminutuum non est, neque est locus in quo cœnatur tantum, sed superior domus contignatio. Fe stus: Cœnacula dicuntur ad quæ scalis ascenditur. Liuius libro 39. ab urbe cond. Cœnaculum super ædes datum est scalis ferentibus. Paulus lib. 43. dig. tit. uti possidetis. l. si duo. Sed si supra ædes quas possedeo, cœnaculum sit. et ibidem saepius. Item in titulo de ijs qui eiecerunt aut effuderint, saepissime.

**C O E T V S**, conuentus est siue congregatio, à coëndo dictus. Virgilius primo Aeneid. Et cœtu cinxere po=lum. Vnde in decre. distinctione decimaquinta. Qui cœ=tum fecerit, ut inquit Seneca in declamationibus, capita=le est. id est, dignus morte.

**C O L L E G I V M**, ut scribit Neratius Priscus titu=de uerborum significa. l. Neratius. à tribus fieri potest,

quum plures uideantur in collegio cōtineri. Sed cum duo tantum sint consules, atque alter alterum collegam appellat, non ne dicemus collegium consulum? quandoquidem collega & collegiū coniugata sunt. Numa Pomplius instituit collegium tibicinum, aurificum, architectorum, tinctorum, coriariorum, fabrorum, & sigulorum. Erit itaque collegium illorum qui sunt eiusdem ordinis & professionis: ut Papin . libro 27 . titulo de excusationibus. l. qui in collegio pistorū sunt, à tutela excusantur. Item lib. 47. dig. de collegijs illicitis, sēpe.

**C O L L U D E R E**, in fraudē tertij est cōuenire. Vnde est collusio dictum, quod simul ludant, id est, illudant tertium: quod in libris dig. sēpe legitur. Est præterea titulus de collusione detegenda.

**C O L U M NIUARIUM**, instrumentum erat ad percolandum aquam siue uinum ex niuibus, eratq; colum illud aut ex uiminibus, ut apud Virgilium in secundo Georgiorum: Tu sp̄isso uimine quallos Colaq; prælorum fumosis diripe tectis. aut ex sacco cilicino, siue lineo: ut Martia . in disticho cuius index est, Saccus niuarius : Attenuare niues norunt & linteā nostra . Frigidior colo non salit unda tuo . Aut erat ex argento: ut Pomponius de auro & argento lega. l. in argento. In argento, inquit, potrio, utrum id duntaxat sit in quo bibi possit, an etiam id quod ad præparationem bibendi comparatum est, ueluti colum niuarium & urceoli . pro quo mendose legitur, columnarium, nihil iuerbum . Ex Martiale poëta, in disticho cuius titulus est, Colum niuarium: Setinos mo-neo nostra niue frange trientes. Sed de hoc in obseruationibus

nibus nostris plura.

**C O M E S** cum sit nomen ad aliquid dictum, referaturq; ad ducem, quod utrumque nomen est honoris, aliquando tamen dicitur absolute. ut apud Horatium in primo Sermonum. *Hospitio modico rhetor comes Heliodorus.* Comitatus uero dignitas multiplex fuit, puta comes consistorij, comes largitionum, comes sacri palatij, comes rerum priuatarum, comes prouinciae, comes orientis, comes scholarū, de quibus cum alijs in locis, tum in Codice Iustiniani multa leges.

**C O M I T I A** dicebantur apud Romanos, conuentus populi: dicta à coëndo, hoc est conueniendo in unum locum ad suffragia ferenda, aut aliquid aliud faciendum. Fuerunt autem comitia calata, quæ rursus in centuriata & curiata diuidebantur, quemadmodum suprà diximus, in uerbo calata comitia.

**C O M M E A T V S** duo significat, nam omnia quæ ad uictum publicum pertinent, commeatus nomine continentur. Sallustius in Catilina: *Commeatus abundè, municipia atque coloniae patebunt.* Est præterea cōmeatus facultas quæ datur militi abeundi ex exercitu ad præscriptum tempus. Festus: *Commeare, inquit, est ultro citroq; ire:* unde commeatus dicitur tempus quo ire & redire quis possit. Liuius libro 21. ab urbe condita, de Hannibale milites suos post expugnatam Saguntum alloquente: *Si quis, inquit, uestrum suos uisere uult, commeatum do.* Idem libro uigesimo secundo: *Magna pars militum sine commeatibus dilabebatur.* Marcellus libro 48. digestorum, titulo de pœnis. l. relegati. *Commeatum, inquit, rea-*

meatum'ue darem. Item de re militari.l.j. et l. desertorem. Item ad municipales.l. quoties. et l. titius.

**C O M M E A T A L I S** miles, dicitur qui in stipendijs partem accipit alimenta ex commeatu, id est, ex alimento publico: nam, quemadmodum diximus, commeatus in priori significatione accipitur pro cibarijs atque alimentis exercitus. Iustinianus in titulo de præfecto prætorio Aphricæ. l. quas deo. Nullum audeant duces uel tribuni commeatalem de ipsis dimittere, ne dum sibi lucrum student conficeret, incustoditas nostras relinquant prouincias. et infra: Non de commeatibus militum, aut de eorum stipendijs lucrum facere.

**C O M M E N T V M**, ti, est fictio, ab eo quod est comminiscor comminisceris. Terentius in Andria: ipsis commentum placet. Virgilius in secundo Aeneidos: Timidi commenta retexit Naupliades animi. Papinianus libro 48. digestorum. l. miles. Socer cum nurum adulterij accusaturum se libellis præsidi datis testatus fuisse, maluit ab accusatione desistere, et lucrum ex dote magis petere: queritur, an eiusmodi commentum eius admitti existimes? Accursius pro commento, commeatum legit. Item Marcellus libro 49. digestorum. titulo de iure fisci. l. res quæ. Dignum fuisse puniri pro tam turpi tamq; inuidioso commento. hic Accursius pro uoluntate inspecta exponit. Item Vlpianus titu. de rebus eoru. l. quamuis. Tam callidum commentum in exemplum coercere debeat.

**C O M M E N T A R I E N S I S** ab Asconio Pediano is dicitur qui præest à commentarijs, id est, libris et rationibus publicis. Hierony. in secundo Regum, cap. octauo: Iosaphat

Iosaphath autem præerat à commētarijs. Paulus lib. 49. dig. de iure fisci. l. in fraudem. Ea, inquit, manu commentariensis annotanda sunt. Neque dictus est quia acta ei cōmittuntur, ut ait Accursius. Alias pro carceris custode accipitur, ut C. de custod. reo. l. ad commentarienses.

C O M M I T T E R E inter alia significat etiam pugnam conserere: ut apud Lucanum in primo: Exiguū dominos commisit asylum. & Martialis: Victores cōmitte Venus. Iurisconsultus lib. 9. dig. ti. si quadrupes pauperiē. l. j. Cum arietes, inquit, & boues commisissent, & alter alterum occiderit. subaudiendum est enim pugnam.

C O M M U N E pro repub. ut uulgò dicitur communidad. Ouidius 12. Metamorph. Gentisq; simul commune Pelasgæ. Horatius 2. Carm. Priuatus illis census erat magnum commune. Cicero tertio in Verrem: Quomodo iste commune miliadum uexauit. Scœuola lib. 46. tit. de appellat. l. Imperator Alexander communis &c.

C O M P E N D I V M , in uia est contractio quædam, & breuitas, quam maxima esse potest, sicut econtrario dispendium uia per ambages. Modestinus lib. 50. digest. tit. de legationibus. l. eundem. Itineris, inquit, compendium subeat. & per translationem tit. de administratio=ne. l. Titium. Vtrum compedium negocij, an usurpas præstare debeat &c.

C O M P E T E N T E R , pro eo quod est mediocriter & conuenienter, & competentia pro ipsa mediocritate & conuenientia. Gellius lib. 1. Omnia membrorum inter se competentia. Idem lib. 13. Plures simul ad eandem competentiam nasci non queunt. Martianus: Memoratum arbitri

tror competenter quæ sint fastigia literarum. Iurisconsul  
tus ti. sol. mat. l. si cū patri & filiæ cōpetenter cōsulatur.

**C O M P I L A R E**, est facto impetu in quempiā gra-  
fari, quod proprie latronum est. Horatius primo Serm.  
Serui ne te compilent. id est, te adorti trucidēt. Aliquādo  
accipitur pro eo quod est aliorum scripta & inuenta fu-  
rari: ut idem in eodem, Ne Crispini scrinia lippi Compi-  
lasse putas. Macrobius lib. 1. Saturn. Possem pluribus edo  
cere, quantum se mutuo compilarint bibliothecæ ueteris  
autores. Paul. lib. 48. tit. ad leg. Iuliam pecul. l. sacrilegi.  
Sunt, inquit, sacrilegi qui publica sacra compilauerint.

**C O M P I N G E R E**, est res diuersas in unum coagmē  
tare atq; conglutinare. Vnde est illud Job cap. 10. Hiero-  
nymo interprete: Osibus & neruis compegisti me. Cel-  
sus lib. 6. Tenuissimis minutissimisq; osculis caput com-  
pingeret. Paulus lib. 46. dig. de solutionib. l. qui res. Si na-  
uem, inquit, eisdem tabulis compegerit.

**C O N C A M E R A T I O**, est structura fornicate siue  
testudinea: nam camera est fornix siue testudo, unde con-  
camerare est camerā struere. Plinius lib. 34. Dinocrates  
Alexandri architectus Archinoës templum cōcamerare  
instituerat. Vitruvius lib. 2. Neq; paries, inquit, concame-  
rationes recipit. Idē lib. 6. Si hypogea concamerationesq;  
instituerentur. Labeo lib. 32. dig. de legat. iij. l. si cui ædes.  
Aliquod, inquit, conclave, quod supra concamerationem.

**C O N C L A V E**, quid sit omnes norunt: nam est in do-  
mo locus secretior. sed ideo posuimus hoc in loco, quia in  
proferendo accentu pleriq; omnes peccant: cum enim in  
penultima collocari debeat, in tertia à fine ponunt. Ho-  
ratius

*ratus 2. Serm. Currere per totum pauidi conclave. Clavis nanq; primam producit. Vlpia. lib. 25. titu. de uentre inspic. l. 1. In quo, inquit, conclave mulier paritura erit. Item Neratius lib. 39. dig. tit. de damno infe. l. quod Cornelius. Conclave, inquit, binarum ædium.*

**C O N C I N N A R E**, inquit Festus, est apte compone= re: nam cinnus, ut ait, mixtio est. Plinius lib. 14. Cato iubet uina concinnari ad cinnum. Inde cōcinnatorius, a, um, res ad concinnandum apta. Paulus lib. 33. dig. tit. de penu legata. l. instrumentum. Vasa, inquit, concinnatoria instrumento non continentur.

**C O N D I T V R A**, est illud quod ferculis alijsq; esculentis concinnandi condiendi ue gratia solet adhiberi. Apud Columellam lib. 3. de re rust. caput est de oliuarū conditura. Vlpianus lib. 33. dig. de tritico & uino leg. l. si quis. Quod potius, inquit, conditæ loco fuit.

**C O N G I A R I V M**, sportula erat quæ diurni cibi nomine comitibus, anteambulonibus, asseclis, stipatoribusq; suis potentiores ciues distribuebant: dictum à congio uini mensura sextarios sex capiente. Plinius lib. 14. Tribus cōgijs epotis uno impetu. hinc cōgiarium. Martialis: Centum miselli iam ualete quadrantes Anteambulonis congiarium laſsi. Paulus lib. 33. de fundo instru. l. tabernæ. Vrnæ, inquit, æreæ & congiaria & sextaria.

**C O N T I G N A T I O**, est trabium coassatio ad tabu= lata cœnaculaq; cōstruenda. Plin. lib. 35. Sesquipedalis pa ries non amplius qui unam contignationē sustinet. Liuius lib. 21. ab urbe cond. Bouem in tertiam contignationem sua sponte scandisse refert. Papinianus lib. 8. de seruitut.

*urb.prædio.l.binas quis.Binas,inquit,quis ædes habebat una contignatione tectas.*

**C O N T I N E N S** plerunq; pro continuus, hoc est, continuatus accipitur. Cicero primo Tusc. quæst. Continen- tem orationem audire malo. Celsus lib. 3. Et multo magis si continentes febres sine remissione sunt. Triphonius lib. 27. de excusationibus. l. Titius. Testamento, inquit, Ro- mæ concepto ut in continentibus. Item Vlpia. lib. 39. de aqua pluuiali arc. l. q. Noceat loco qui est intra continen- tia ædificia. Paul. de uerborum significat. l. urbis. Romæ, inquit, continentibus ædificijs.

**C O N T U R B O**, as, præter illum significatum quem habet in promptu, significat etiam decoquere, siue fidem frangere, nec creditori uelle aut posse soluere. Martialis: Conturbabit Atlas et non erit uncia cœlo. Decidat tecū qua pater ipse deūm. Iuuinalis: Sic pedo conturbat, Ma- tho deficit, exitus hic est. Alphenus lib. 11. in tit. de in rē uerso. l. quidam fundum. Postea, inquit, conturbauerat qui boues uendiderat. Idem de institoria act. l. quicunq;. Si quis pistor seruum suum solitus fuit ad certū mittere locum ad panem uendendum, deinde conturbauerit. Ac- cursius, id est, non fecit quod conuenit, exponit.

**C O R B I S**, textum est uimineū, quod Græcè, ut Pri- scianus ait, cophinus appellatur, sed proprie corbis est quo messes excipiuntur. Varro de lingua latina: Corbis, inquit, dicta ab eo quod spicæ aliud' ue quid eo corrue- bat. Sed cum grammaticis sub genere fœminino relinqua- tur. Seruius in primo Georg. autoritate Ciceronis sub fœminino proferendum esse dicit, qui dixit messoria se corbe

corbe cōtexit. Vlpia.lib.33.dig.de fundo instr.l.instrumēta. Instrumenta, inquit, cogendi fructus, quemadmoū torcularia, corbes, falces messoriæ, falces fœnariæ.

C O R I N T H I V M æs, & uasa corinthia, ab ære corinthio dicta, quod Corintho urbe Achaiæ Romanis euersa & incensa, ex uarijs sit metallis conflatum. Plinius de ære corinthio: Casus inquit, hoc miscuit, Corintho cum caperetur incensa. Sed autor ostendit opifices nobiles corinthiorum uasorum Corinthis excidium præcessisse. Martialis: Consuluit nares an olerent æra Corinthon. Suetonius in Augusto: Propter uasa, inquit, corinthia inter proscriptos curasse referendos. Iabolenus Pricus, de legat. iij.l.hæres. Cui Corinthis inquit, uasa legata essent, & sequitur: Proculus uero recte ait, si æneæ quidem sint abaces: si autem corinthiæ, nō deberi. Accur sius corinthiæ, id est, de uili materia, puta palea uel herba palustri exponit, putans preciosiora esse uasa ænea, quam uasa corinthia: atq; ita lectionem cum sensu perturbat. Erit igitur ordo & literæ sensus talis: Proculus uero recte ait, subaudi abaces deberi, quia uasa corinthia erant in tanto precio, ut una libra permutaretur aliquando quingentis. Aequitas itaq; legis in hoc consistit, quod abaces ex uiliori materia debentur, ex preciosiori tamen non debentur.

C O R P V S pro collegio à Iurisconsultis nōnunquam accipitur, ut Calistratus lib.27.de excusat.l.non tantum. Non omnia, inquit, corpora uel collegia uacuationem tutelarum habent. Item Pomponius lib.41.tit. de ususca= pionibus.l.rerum.Corporum, inquit, tria genera. Iustia

nianus quoque Codice de legibus & constitutionibus.l.  
que ex relationibus. Quibuslibet corporibus, inquit, aut  
legatis.

C O R R A D E R E pecunias, est undecunq; illas, eru=  
scare atq; conquirere. Terentius in Adelph. Minas decē  
corradet alicunde. Idem in Phormione: Munus hoc ei  
corraditur. Vlpianus tit. de bonis damnatorum.l. diuus.  
Plerunque, inquit, corrasas pecunias Præsides ad fiscum  
transmiserunt.

C O R R I V A L E S , dicuntur qui ex eodem riuo si=mul aquantur, & per translationem, qui eandem amicam habent communem. Vlpianus lib. 43. de aqua æsti.  
l.j. Corriuales, inquit, id est, qui per eundem riuum aquā  
deducunt.

C O T I D I E per c, & non quotidie per q, debere scribi Quintil.est autor lib.1.de Orator.instit.Frigidiora,inquit,his alia,ut,quicquid,c,quartā haberet:& quotidie,non cotidie.uerū hæc iam inter ineptias euanuerūt.  
Frigida esse & inter ineptias numerat Quintil. quod quotidie per q, literam debeat scribi. Victorinus quoq;  
in lib.de orthographia cotidie per c, literam debere scribi his uerbis ostendit: Quamuis,inquit,coccus à coquendo,& cotidie à quoto & die deriuata sint, per c, non per q, scribenda sunt. Adnotarunt & hoc Angel. Politianus,& Laurent. Abstemius, & Ludouicus Bonogninus in adnotationibus suis.

C O T O R I A, &, uena est unde cotes excindūtur, sicut Sulphuraria, unde sulphur eruitur, Stypteria unde alumen. Alphenus lib.39. de publican. & uectigal.l. Cæsar cum

*cum insulæ Cretæ cotorias locaret, legem dixerat.*

**C R E T A E F O D I N A,** dicta est unde creta effodiatur. Sed cum multa sint Cretæ genera, cymolia, sarda, umbrica, saxea, argentaria, figura: de cymolia creta intel ligendum est dixisse Iurisconsultum lib. 27. dig. tit. de reb. eorum qui. l. sed si. Cretæfodinas, inquit, uel argentifodinas, uel aliud simile. Caius lib. 39. de publicanis et uestig. l. sed et ij. Est autem creta cymolia qua utuntur in lani ficio pannarij, ad lanæ duriciem molliendam.

**C R I N A L E**, ornementum capitis est ad fingendum capillos ne turbentur euagenturq;. Ouid. iij. Metamor. Nec torques collo, nec habens crinale capillos. Idem in s. Curuum crinale capillos. Virg. Aeneid. ii. Pro crinali au ro pro longæ tegmine pallæ. Vlpia. lib. 34. de auro et ar gento leg. l. argumento. Fasciæ, inquit, crinales pedulesq;. Philippus Beroaldus non legit crinales, sed fasciæ cruru les pedulesq;: quasi fasciæ sint crurum pedumq; muni menta quædam.

**C V C V M A**, quid sit nondum liquet mihi, neq; enim ego is sum, qui incognita pro cognitis habeam. Angelus Politianus obseruationem fecit de cucuma, sed quid ea esset non ostendit. Nam cum dicit Martialis ad Torquatum, Cucumam fecit Otacilius. uidetur esse genus edificij tugurij pauperis. Ambrosius in uita beatæ Agnes pro uase quodam æreo uidetur posuisse: Dij, inquit, tui ærei sunt, ex quibus cucumæ melius fiunt. Vnde cucumelam inter uasa posuit libro octauo digest. Vlpianus, titulo si seruitus. l. si quando. Seius inquit, syluam seuisset, in qua labra et crateras et cucumelas positas haberet.

Pro genere uerberis cuiusdam posuit Martianus lib. 24. ad legem Corneliam de sicarijs.l.j. Si claua, inquit, percussit, aut cucuma. Petronius arbiter pro fornace uidetur posuisse.

**C V I L L E V S**, uter est ex corio bouis, capiens uiginti amphoras. Priscianus de ponderibus & mēsuris: Culleus hac maior nulla est mensura liquoris. Plinius lib. 14. Septenos culleos singula iugera musti. Vlpia. lib. 33. dig. de fundo instructo. l. quæsitum. Cuppæ, inquit, & cullei. Itē Scæuola eodem lib. tit. de annuis legatis. l. legatum. Vini, inquit, falerni quod domi nasceretur quotannis binos culleos. Est præterea culleus mensura frumentaria tantundem capiens. Scæuola, lib. 13. dig. tit. de pignoratitia actio ne. l. ultima. Pecuniam sub pignore culleorum accepit. Est præterea culleus publica paricidarum pœna ex lege Pompeia. de paricidis. Hinc Iuuenalis de Nerone paricida: Cuius suppicio non debuit una parari Simia, nec serpens unus, nec culleus unus.

**C V P P A** & cuppula, uasa sunt uinaria, hoc est, in quibus uina conduntur. Nonius Marcellus de generibus uasorum cuppas ponit & tinas. Vlpianus de fundo instructo. l. instrumenta. ubi cuppas exponit uasa uinaria lapidea, uel de terra facta, cum illa sint dolia, cuppæ uero ex lignis constent. Item de legatis tertio. l. cuius. Vasa, inquit, uinaria: id est, cuppæ & dolia, que in cella defixa sunt. Inde cuppula parua cuppa, ut de tritico & uino legato. l. si cui. In cuppis, inquit, siue cuppulis.

D A C T Y

## D

**D**A CTYLO TH ECA interpretatur annulorum repositorium: nam dactylus digitus, & annulus interpretatur, & theca repositorium. Plinius libro 37. Dactylothecā primus omnium habuit Romæ priuignus Syllæ Scaurus. Martialis: Dactylothecam, inquit, non habet. Pau.lib.32.de lega.tertio.l.argento. Annulis legatis dactylothecæ non cedunt . atq; ibidem. Iterum in dactylotheca,inquit,legata.

DAMNO damnas, præter illam notam significacionem significat etiam obligare, ut Virgi. in Buco. Damnabis tu quoque uotis.titu. de diuortijs.l. si filius. Damnandum, inquit, eum quanti mulier litē iurauerit. Itē de lega.j.l.cum filio. Heredem, inquit, mihi dare damnauerit. Hinc s̄epe legitur damnatus pro obligatus. nam mēdum est ubiunque legitur damnas nihili uerbum , cum legi debeat damnatus. ut apud Horatium secundo Sermonū: Gladiatorum dare centum damnati populo paria.

DAPHNENSIS lucus, nemus est suburbanum Antiochiæ epidaphne, id est, ad Daphnem positæ: id est lauretū, quod decē mille passuū ambitu patet in Syria curua, quo in loco Antiochenium conuentus agitabatur. ex Strabone. fuit autē hic lucus à Cneo Pompeio magno cōsecratus , Eusebio autore. Est quoque Antiochiæ porta Daphnitica, de qua Hierony. in uita Ignatij: Reliquæ, inquit, corporis eius Antiochiæ iacent extra portam Daphniticam in cœmiterio. Iustini. libro Codicis undecimo, de cupressis luco daphnensis.l. Si quis autem daphnensis luci in Syria arborem amputauerit.

E 5

DARDANARIVS, dicitur qui imitatur Dardanum quendam hominem sceleratum, de quo Sidonius libro quinto: *Omnia in Dardano crima simul execrantur.* ab hoc Columella dixit in horto: *Dardaniæ ueniant artes.* Dardanarij quoque dicuntur propolæ, qui omnia præemunt, ut postea carius uendant. Cicero contra Pisonem: *Panis tibi de cuppa atque propola.* Plautus in Dardanarij præpropera emptione: *Flagellabat, inquit, annonam.* Vlpianus libro 47. de extraordinarijs criminis. l. *annonam.* Annonam uexare dardanarij solent. Item de poenis. l. in dardanarios &c.

DECEDERE, contrarium est ei quod est succedere. ut si dixeris: Appius Claudius successit in prouincia Ciceroni, & Cicero deceſſit Appio. Vnde dicti sunt successores & decessores. Vlpianus libro 48. digest. ad legē Iuliam maiestatis. l. *qui ue.* Qui ue, inquit, de prouincia cum ei successum esset, non discessit.

DECIDO decidis, est cum creditore super debito transigere. Cicero tertia in Verrem: *Nisi cum muliere,* inquit, decideretur. Idem quarta in eundē: *Cū reo transfigat, cum accusatore decidat.* Idem in quinta: *Qui septim gentis decidere noluisset, mille promisit.* Plinius libro septimo: *Abunde igitur atque indulenter fortuna decidit cum eo, qui iure dici non queat felix.* Martialis: *Conturbabit Atlas, & non erit uncia cœlo.* Decidat tecum qua pater ipſe deūm. Scœuola libro 26. de administra. & periculo tutorum. l. cum hereditas. Cum plerisq; inquit, creditoribus ita decidit. & infra: *Cum plerisque creditoribus ita deciderunt.*

**D E C I S I O**, onis, ab eo quod est decido idis, in superiori significatione ut sit decisio idem quod transactio. Cicero de prouincijs consularibus: Cum tyranno, inquit, decisiones & direptiones. Ambrosius ad Titianū: Promptior esto decisioni cuius & spes potior & fructus est. Paulus libro 35. ad legem Falcidiam. l. si hæres. Si hæres, inquit, cum creditoribus deciderit, ne solidum solueret, & ob eam decisionem factum sit ut aliquid retineret.

**D E C O C T O R E S**, dicuntur qui cum non sint soluendo, uertunt solum atq; aufugiunt. unde Catullus: Decoctoris amica formiani. & Valerius de uarietate casuū: Postea inopia turpem decoctoris superlationē. Sene ca libr. quinto de beneficijs: Quomodo fœnerator quofdam debitores non appellat, quos scit decoxisse. Iustinianus lib. decimo de decurionibus. l. Quilibet principalium decurionum decoctor pecuniae publicae si fraudulentus. Hic decoctorem uidetur posuisse non tam pro eo, qui cum soluendo nō sit, fidem publicam frangit, quam pro eo qui depeculatus est pecuniam publicam. in quo significatu accepit Martialis, cū ait: Nihil colonus uillicusq; decoxit. hoc est defraudauit atq; intercepit. Accursius nō intelligens quid esset decoctor, officij nomen esse dixit.

**D E C V R I O N E S**, in colonijs & municipijs dicuntur qui Romæ Senatores appellantur: dicti à numero equitum quibus in militia præerant. Autores sunt Nonius Marcellus, & Festus Pompeius: dignitas uero ipsa, Decurionatus dicitur. de officio decurionum & de illorum dignitate, lege in libris digestorum titulum, ad municipales. l. quoties. & l. libertus. Item de decretis. l. ambi

tiosa. Omnino decurionum officium est pecuniam publicam habere, tractare, & exigere.

**D E D I T I T I I** serui, dicuntur qui ex obsidione sediderunt in potestatem uictoris. formam autem deditio-  
nis scribit Liuius libro primo ab urbe condita: Obses-  
sor, inquit, interrogauit: Estis' ne uos legati oratoresq;  
missi à populo Collatino: ut uos, populumq; Collatinum  
dederitis? Sumus. Est' ne populus Collatinus in sua po-  
testate? Est. Deditis' ne uos, populumq; Collatinum, ura-  
bem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, diuina,  
humanaq; omnia in meam Romaniq; populi ditionem?  
Dedimus. Et ego recipio. De seruis dedititijs Iustinianus  
in primo Institutionum lib. titu. de libertinis, & quomo-  
do manumissi obtinebat infimum libertinitatis gradum:  
quoniam illorum, inquit, pessima conditio est.

**D E F I N I O** & definitio, non diffinio & diffinitio  
notatum à Ludouico Bonognino, semper legi in Pādectis  
Florentinis: & ferè nunquā aliter legitur in libris uetus-  
tissimis, qui reperiuntur scripti etiā in alijs facultatibus.

**D E F R U T U M**, mustum est quod decoquitur quo-  
usque pars tertia relinquatur. Plinius tamen libro 14. Sa-  
pa, inquit, fit musto usque ad tertiam mensuræ partem  
decocto, quod ubi factum ad dimidiam est, defrutum uo-  
camus. Virgilius quarto Georgic. Aut igni pingua mul-  
to Defructa. Vlpianus libro 33. digest. de fundo instructo.  
l. quæ situm. Vas, inquit, æneum in quo sapa coqueretur,  
& defrutum fieret. Item de uino & tritico lega. l. qui ui-  
num. Mulfum, inquit, passum, defrutum. Defrutum di-  
ctum est quod autore Plinio sit ad dimidiis defraudatū:

aut

aut quemadmodum uult Nonius Marcellus, quod ad tertiam redactū sit. Nō quod Accursius hallucinatur, quod de usu sit sublatum, ut quamdiu possit seruetur. quasi sit dictum à fruor, eris.

**D E G L A B R A R E**, est delibrare siue cingere, hoc est arborem decorticare: nam glaber proprie dicitur qui leuis est, & pilis caret, sed hic deglabrare pro laeuem facere posuit Iurisconsultus Paulus libr. 47. dig. tit. arborū furtim cæsarum. l. cædere. Cingere, inquit, arborem, est deglabrare siue delibrare.

**D E L A T O R**, est alicuius criminis denunciator, dummodo ad officium suum non pertineat ea denunciatio. hoc genus hominum odiosum habetur. Martialis de delatoribus: Turba grauis paci placidæq; inimica quieti, Quæ miseris semper sollicitabat opes. Idem: Et delator habet quod dabat exilium. Pro denunciatore tantum posuit Iurisconsultus Papinianus tit. de diuersis l. intra. Intra quatuor, inquit, annos uacantium bonorum delator. In titulo tamen de iure fisci, propria delatoris significacione utitur sape.

**D E L I B R A R E**, quod est librum, hoc est corticem arbori detrahere. lege suprà in uerbo cingere arborem, & in uerbo deglabrare.

**D E L P H I**, orum ciuitas est Phocidis, ad montis Parnassi radices posita, ubi Apollo solitus erat responsa dare: sed quemadmodum ait Iuuena. Nunc cessant oracula Delphis. titu. de censibus.

**D E L P H I C A E** mensæ à Delphis urbe Apollini sacra dictæ sunt, & erant ex ære, quas ueteres Cortinas uo-

*cabant. Plinius libro 34. Ex ære, inquit, facilitauerunt cor-  
tinæ tripodum nomine delphicas. Cicero sexto in Ver-  
rem: Mensas delphicas è marmore. Martial. Argentum  
atque aurum non simplex delphica portat. Florentinus  
titulo de supellectili legata. l. id est. Trapezophora, in-  
quit, delphicæ subsellia.*

**D E M I N V O**, *is, &* diminutio, onis, non diminuo  
& diminutio, ut paßim legitur in libris digestorum, de-  
bere scribi adnotauit Ludouicus Bonogninus in Pande-  
ctis Florentinorum. Est autem capite diminutus, ut ait  
Festus, qui ciuitate mutatus est, & ex alia familia in  
aliam adoptatus, & qui in hostium potestatē uenit, &  
cui aqua & igni interdictum est.

**D E M O L I O R** demoliris, est illud quod extructum  
est diruere. Nam moliri est ædificare, cuius contrarium  
est demoliri. Virgilius primo Aeneid. Moliriq; arcem,  
& manibus subuoluere saxa. Apud antiquiores demolio  
is, declinabatur, ut Diomedes testimonio Varronis osten-  
dit, quem citat in libro poëtico: Non demolio, inquit,  
astra. Et Næuius in corollaria: Hæc demolite, inquit.  
Vlpianus titu.de usufructu.l.hæres. Antequam usufructu  
prohibuerit, demolierit. Et demolitus passiue, ut in titu.  
de ususcapionibus.l.eum qui.

**D E N I** denæ dena, nomē est diuiduum distributuum,  
quale illud bini binæ bina, & similia, cuiusmodi nomina  
Accursius solitus est exponere in bis tantum, cum re ue-  
ra significant cuilibet tantum, quod latuit Bartolum. Is  
enim exponens legem que habetur de legatis 3. si quis  
testamēto Titio & Seio decem dari iusserrit. nullam hæc  
uerba

uerba recipiunt ambiguitatem, ut dena dixisse videatur qui decem dixit: putauit per dena uiginti intelligi. Ait nanque: Qui reliquit decem, non uidetur relinquere uiginti. Nam cum inter decem & dena illa sit differentia inter oratores obseruata, quod decem numerum simplis, hoc est, decem unitates significet, dena uero cuilibet decem, erat sensus legis: quod qui Titio & Seio legauit decem, non legauit dena, id est, cuilibet decem, sed decem simpliciter, hoc est, cuilibet quinque. In titulo de uerbo=rum obligatione. l. si ita. Accursius dena pro bis decem interpretatus est. Idem de annuis legatis. l. si legatum. exponens illud, Si legatum forte sit relictum annua bina tri na die, forte triginta dena per singulos debentur annos. licet non fuerit adiectum aequis pensionibus, dena pro de=cem interpretatus est, cum dena non simpliciter decem, sed per singulos annos decem significet.

D E P E C T U S participium est, ab eo quod est depe= ciscor, quod significat turpiter pacisci. unde depector apud Apuleium in oratione pro magia: Est, inquit, litiū depector, omnium falsorum commentator. Vlpianus li= bro tertio de calumniato. l. & generaliter. Hoc, inquit, edicto tenetur qui depectus est.

D E S E R E R E proprie militum est, qui relinquunt locum in acie, aut sine commeatu discedunt ex castris: unde est desertor & desertio, de quibus saepe in libris di gestorum, tit. de re militari.

D E S I D E R O præter illam notam significat etiam deficere. Cæsar in commentarijs: Desiderati sunt, inquit, eo die sagittarij circiter ducenti, id est, defecerunt: hoc

est, interempti sunt. Suetonius in Augusto: Desiderauit nonnunquam M. Agrippæ patientiam, & Mecœnatis taciturnitatem. Quem locum Eutropius & Sextus Aurelius non intelligentes, decepti huius uerbi ambigua significatione putauerunt, quod Augustus uoluisset esse æquè patiens atque Agrippa, & taciturnus ut Mecœnas: Cum apud Suetoniū desiderare accipiatur pro deficere illud quod desideramus. In quo sensu accepit Iurisconsultus in tit. si libertus ingenuus esse dicatur. l. quoties. Siue officium, inquit, desideretur. id est, deficiat in eo qui debet obsequi & obtemperare.

DIAETA locus est in domo, ubi per ocium uersamur. Papinius in secundo Syluarum: Vna tamen cunctis procul eminet una diætis. Sidonius Apollinaris in epistola. Ex triclinio fit in diætam siue cœnaculum transitus. Iurisconsultus titulo de legatis tertio: Cellarium, inquit, iunctum eidem diætæ. Inde diætarius dictus est seruus siue minister in diæta deseruiens. Meminit Vlpianus in titulo de fundo instructo. l. quæsumus. Est præterea dietarius, qui ex diæta quipiam furatur, ut Vlpianus in titulo de effractoribus: Simili, inquit, modo & dietarij & saccularij puniuntur. Pro quo mendose legitur detractarij et exx̄r̄ij. Idem in titu. de effractoribus. l. saccularij. Qui dietarij, inquit, appellantur: hoc est, qui in aliena cœnacula se dirigunt furandi animo.

DIATHETVM, uidetur genus esse poculi, sicut syntheton siue synthesis. Iurisconsultus ad legem Aquilam. l. si seruus. Si calicem, inquit, diathetum faciendum dedisti. Iustinianus quoq; lib. 10. l. j. Artifices, inquit, diathetarij

thetarij, id est, calices diathetos fabricantes.

DIENSES populi sunt Macedoniæ, à Dio colonia dicti. hos Pausanias Diaſtas appellat, apud quos gymnicum certamen agebatur. Paul. lib. ult. in tit. de censib. In Macedonia, inquit, iuris Italici sunt Dienses.

DIFFINDERE diem, & diffiſſio diei, quid significet, non est in promptu, neq; cur ſic dicatur. Gell. lib. 13. Iuſſi, inquit, diem diffindi. Et iterum: In dierum diffiſſionibus & comperendinationibus. Vlpia. lib. 2. digest. tit. Si quis cautionibus l. non extinguemus. Si quis, inquit, cautionibus in iudicio ſtendi cauſa non obtemperauerit. Si quis, ait, in iudicio ſe ſisti promiferit, & ualetudine uel tempeſtate, uel ui fluminis prohibitus ſe ſistere non potuit, exceptione adiuuatur: nec immerito. Cum enim in tali promiſſione præſentia opus fit, quomodo poterit ſe ſistere, qui aduersa ualetudine impeditus eſt? Et ideo etiā lex Duodecim tabularum, si iudex uel alteruter ex litigatoribus morbo ſontico impediatur, iubet diem iudicij eſſe diffiſſum. Sic enim legitur in Pandectis archetypis Florentinorum, non diffiſſum: uideturq; ſignificare diem interciſum, ſiue intercapedinatum atq; dilatum.

DIFFUNDI uina proprie dicuntur, que poſtea quam defecata ſunt, in dolis conduntur transuasanturq;. Iuuenalis: Ipſe capillato diffiſſum conſule potat. Et Horatius: Vina bibes iterum tauro diffuſa. Vlpianus lib. 32. de leg. iij. l. cum quereretur. Nam ſi uina diffudiſſet, habitus uſui. Item Proculus lib. 33. de tritico & uino leg. l. cum uinum. Cum uinum, inquit, quod in amphoris ſeu caſis diffiſſum eſt.

DIGITVS aquæ, est modulus unde salientes tali mensura censentur. Frontinus de aquæ ductibus: Aquarum moduli aut ad digitorum, aut ad unciarum mensuram redigendi sunt. Est autem digitus sextadecima pars pedis, uncia uero duodecima. Quemadmodum igitur inter unciam & digitum diuersitas, ita & ipsius digitum aliis uocatur quadratus, aliis rotundus. Hæc Frontinus. Paul.lib.s.dig.de seruitutib.rusti.præd.l.Lucius Titius. Digitum tibi dono aquæ. Accursius per aquæ digitum intelligit quantum fluit per digitum statuæ.

DIOECESIS per æ diphthongum in secunda scribitur, & non diocesis, ut uulgò legitur: neq; accētu inter tia à fine, ut omnes proferunt, sed in penultima. Item diœcetes, non diocetes, pro diœcēsos præfecto. Est autē diœcēsis gubernatio siue dispositio, & diœcetes gubernator siue procurator. Cicer.in Epist. Ex prouincia Ciliciensi cui scis tres diœcēses astaticas attributas esse. Justinianus tit.de episcopali aud.l.archigerontes & dicēcet e.

DIPLOMATA, sunt codicilli siue libelli, in quibus beneficia à principibus impetrantur, quales nostro sunt tempore quas appellant bullas: dicta quòd in duplicibus tabellis solitæ sunt concedi supplicibus. Sueton.in Augusto: In diplomatis libellisq; & epistolis signandis. Idem in Nerone: Diplomata ciuitatibus singulis obtulit. Cice. in Epist.ad T. Appium: Diploma, inquit, statim non est datum. Apud Iurisconsult. accipitur pro itineris festinatione, hoc est, cum per dies singulos duplia itinera conficiuntur. Venuleius lib.45.dig.de uerb. oblig.l. cōtinuus. Quibus, inquit, quasi interpretatio quædam inserta est. is qui

is qui Ephesi daturum se spoponderit: ut neq; diploma=ta, id est, diebus ac noctibus, & omni tempestate cōtempta iter continuare cogatur. Et sequitur: Quòd si diplo=mate usus, ac felici nauigatione, maturius quam quisque peruererit Ephesum: confessim obligatus est. Modesti=nus lib. 48. ad legem Corneliam, de falsis. l. falso, inquit, di=plomate commecauit.

D I S P V N G E R E siue expungere est transuerso ca=lamo rationē cancellare. Seneca de breuitate uitæ. Dispūge, inquit, ac recense uitæ tuæ dies. Apuleius de deo Socra=tis: Si cotidiana eorum dispungas, inuenies multa rationi=bus prodigè diffusa. Item de uerb. sign. l. cognoscere. Di=spungere, inquit, est conferre accepta & data, & ex ea collatione, ut ait Accursius, cancellare quod est redditū. Hinc est dispuñctio, onis, pro ipsa rationis cancellatura, ut apud Tertul. in Apologetico: Ad utriusq; inquit, me=riti dispuñctionem. Vlpia. lib. 42. dig. tit. de bonis autor. iud. possid. l. cōplures. An recognitio, inquit, & dispuñctio concedenda sit creditoribus. nam quod in quibusdam co=dicibus legitur dispuñatio, pro dispuñctio, mendum est.

D I S S I D I V M inter uirum & uxore idem est quod diuortium, hoc à diuertendo, illud à dissidendo appella=tum. Terent. in And. Valeant qui inter nos dissidia que=runt. Idem in Ecyra: Nihil mali est quod sit dissidio di=gnum. Papinius lib. 48. dig. ad leg. Iuliā de adult. l. miles. Quero, inquit, an causam dissidiij præstitisse uidear.

D I S T R A H E R E, pro eo quod est uendere, aut au=ctioni exponere. Suetonius in Vespasiano: Coēmendo quædam tantum ut postea distraheret. Gellius libro 19.

Sicut nunc, inquit, bona uenum distrahabuntur. Vlp. in tit. de transactionibus l. si uni. Si uni, inquit, pluribus uefundus fuerit distractus. Titulus est præterea lib. 20. dig. de distractione pignorum.

DIVORCIVM, ut paulò ante diximus, id ē est propter quod dissidium. hoc dictum ab eo quod uir & uxor dissideant, id est, dissentiant inuicem, illud quod in diueras partes uertantur. Fiebat autē diuortium per illa uerba quae sunt apud Plaut. Res tuas tibi habe, quae mea, redde mihi. Paul. in tit. de uerborum significatione. inter diuortium & repudium hoc interesse dicit, quod repudiari etiam futurum matrimonium potest, non recte autem sponsa diuertisse dicitur, quod diuortium ex eo dictū est, quod in diueras partes eunt qui discedunt. Est præterea titulus de diuortijs, lib. 23. dig.

DOLIVM, uas fictile est, uino atq; alijs rebus cōdens aptissimum. Plin. lib. 13. Mitiores, inquit, plagæ dolij condunt uina, infodiuntq; Cato de re rust. Dolia olearia decē habeat. Vlp. lib. 33. dig. de fundo instr. l. instrumēta. Dolia, inquit, licet defossa non sint & cuppæ. Idem de auro & argento leg. l. Dolia, inquit, fictilia, quibus terra adiecta est. Inde doliarius, qui facit dolia: & doliarius, a, um: & doliaris, re, ad dolia pertinens. Plinius lib. 3. A fīglinis, inquit, doliariorum. Et Paul. de fundo instr. l. tabernæ. Doliaria, inquit, uasa & ancones. Item l. si uinum. Si doliare, inquit, uinum emetis.

DOLONES, hastæ sunt in quibus tanquam in uaginis latent pugiones: dicti ab eo quod dolus subeat. Virgil. lib. 7. Sæuosq; gerunt in bella dolones. Sueto. in Claudio:

Cum do

Cum dolone ac uenatorio cultro præstolantes. Alphenus lib.9. dig. ad legem Aquil.l. si ex plagis. Flagello, inquit, quod in manu habebat, in quo dolon inerat, vulnerare tabernarium cœperat. ubi mendose pro dolon legitur dolor, neque minus falso Accursij interpretamento locus enarratus.

DONARIA, inquit Valla contra Seruium, non sunt loca in templo ubi dona reponuntur, sed potius ipsa quæ offeruntur dona. Virgil.3. Georg. Imparibus ductos alta ad donaria currus. Luc.in 9. Neq; eois splendent donaria gemmis. Paul.lib.49.de re militari.l. qui excubias. donarium pro donatiuo posuit. Item C. de sacrosanct. eccl. l.sancimus. pro dono posuit Iustinia. dicens: uasa uel uestimenta cæteraq; donaria.

DURACINAE uiue dicuntur, & duracina persica. De uuis duracinis lemma est apud Martialem in disti.de persicis duracinis. Pli.lib.15. Duracinis, inquit, hæret corpus. Iurisconsultus de uerb.sign.l. qui fundum. Qui fundum, inquit, uendidit, pomumq; excepit, ficus, nuces, & uiuas duracinas, duntaxat & purpureas, & quæ eiusdem generis essent, & quas non uini causa haberemus, quas Græci trozimus appellant. Lege in uerbo trozimos.

## E

**E**DIRVS bouis, pro stercore quo in quibusdam regionibus utuntur, dictus ab edēdo, id est, extra mitendo. Iurisconsultus in titu. de legat.ijj.l. ligni appellatione. In quibusdam prouincijs editu boum ad hanc rem utuntur.

EFFRINGERE, est furādi causa ianuas frangere.

Terent. in Adelphis: Fores effregit, atque irruit in aedes alienas. Inde effractores dicti. Iulius Firmicus: Mercurius, inquit, in aricte octauo ab horoscopo loco effractores facit. Vnde in libris dig. tit. est de effractoribus, siue de ijs qui carcerem effregerunt, siue ijs qui furandi causa ianuas domorum priuatarum inuaserunt.

ELECTRI duo sunt genera, alterum est lachryma defluens ex arbore glessaria, in insulis Germaniae septentrionalibus, quas Glessarias siue Electrides dicunt, que inde congelascens in lapidis duriciem uertitur. Virgil. in Buc. Pinguia corticibus fudent electra myricæ. A Latinis succinum appellatur: de quo in uerbo succinum. Alterum electri genus est metallicum, idq; duplex, aut cui per artem in auro argeti quinta pars miscetur, aut quod per naturam sic mixtum reperitur. Plinius lib. 33. Vbicunq;, inquit, pars quinta argenti portio est in auro, electrum uocatur. Silius lib. 1. Punicorum: Electri gemino pallent de semine uene. Iustin. in libris Institutionum, in tit. qui est de rerum diuis. Si diuersa, inquit, materiæ sint, et ex ijs diuersa species facta sit, ut ex auro et argento electru. Item de leg. iij. l. pediculis. Vasis, inquit, electrinis legatis, nihil interest quantum ea uasa argenti atq; electri habeant, sed utrum argentum electro, an electrum argento cedat. Illud quoq; de leg. j. Si quis putat electri appellatione argetum uel aurichalcum contineri. Accursius nūc dicit esse preciosam materiam que iungitur argento, nunc genus metalli, nunc genus uasis.

ELENCHVS, lapillus est ex genere margaritaru. Plin. lib. 9. de unionibus, hoc est, grandioribus margaritis loquens:

loquens: Elenchos, inquit, appellat fastigiata longitudine. Et iuuenalis, de inauribus fœminarum: Auribus extensis grandes cōmisit elenchos. Paul. in tit. de auro & arg. leg. l. pediculis. Itē cū inaures, in quibus dux margaritæ elēchi & smaragdi duo legasset, & postea elēchos detraxisset.

ELOGIUM, est testificatio de aliquo, honoris uel uituperationis causa. Cicer. in primo Tuscul. Quid ipsa monumenta, quid elogia significant. Idem de senectu. In quem illud elogium unicum plurimæ consentiunt gentes. Vlpianus lib. 21. de ædilitio edito l. ædiles aiunt. paululum deflexit significationem cum dicit: Elogium huic edito subiectum est. De elogio in propria significatione, hoc est pro testimonio, sed in malam partem, Martianus lib. 4 s. digest. titu. de custodia & exhibitione reorum l. Diuus Hadrianus. Qui cum eo, inquit, elogio mittuntur, ex integro audiendi sunt. Et infra in eodem tit. in l. Celsi, cuius initium est, Non dubium. Remittat, inquit, illum cum elogio ad eum qui ei prouinciae præest, unde is homo est.

ELVSCO, as, est aliquem altero oculo orbare: nam luscus est qui altero oculo caret, non ut quidā putauerūt, qui lumine adhibito nihil uidet. Vlpia. lib. 13. dig. de conditione triticaria. l. in hac actione. Si quis, inquit, post moram seruum eluscatum dederit. Idem lib. 9. ad leg. Aquil. Julianus, inquit, scribit Aquilia teneri eum qui eluscauerit in disciplina discipulum. Inde eluscatio, onis, pro eluscandi, hoc est, altero oculo priuandi actione. Nam quod Vlpianus scribit in tit. de ædilitio edi. l. idem Offilius. Eluscationem eam quidā putant ubi homo lumine adhibito

*nihil uidet, qui id dixerunt non sunt audiendi, quia nulla freti autoritate id dicunt. Quid enim luscus significet suo in loco uidebis.*

**E M A N S O R**, miles, *is* dicitur, qui extra castra uagatur animo reuertēdi, eoq; distat à desertore, quemadmodum *et* erro dicitur seruus, qui eo quoque animo erat, ut ad tempus reuertatur, sicut fugitiuus qui non habet animum reuertendi. Modestinus lib. 49. dig. de re militari. leg. desertorem. *Emansor*, inquit, est qui diu uagatus ad castra reuertitur.

**E M B L E M A T A**, sunt quedam ornamēta uasorum que addi atq; detrahi possunt: dicta ab emballo, quod est impono siue interfero. Plin. lib. 33. *Vlysses*, inquit, *et* Diomedes erant in phialē emblemata. Cicero quoq; in Verrem, emblematum in uasis meminit. *Vlpia*. in tit. de auro *et* arg. leg. l. si gemma. Emblemata recte legātur *et* separantur *et* præstanta sunt. Et in eodem ti. l. *et* si, quæ est Pomponij: Ea quæ inaurata sunt non deberi, neq; aurea emblemata. Item *Vlpia*. lib. 10. tit. ad exhibendum. l. tigni. Si ansam scypho iniunxeris uel emblemata phiale.

**E M E R I T I**, dicuntur milites qui sunt exautorati, hoc est militiæ sacramento soluti, quibusq; iam donativum est persolutum: dicti ab eo quod mereri, hoc est, stipendiū facere desierint. Lucan. in primo: Quæ sedes erit emeritis. Modest. de re mil. l. desertorē. Si expleto tēpore militiæ redeat, ueteranus restituatur, et emerita accipiat.

**E M E R I T A**, *et* Emeritensis colonia, ciuitas est Lusitaniæ nominatissima, Augusta cognominata: nam ut scribit Dion, de uictis Cantabris *et* Asturibus: Eā urbem illis

illis qui supra etatem essent, emeritis, Augustus habitandum concessit. Vnde urbs appellata Emerita Augusta, ex nomine conditorum & Augusti. Pau. libro 50. digestorum, titulo de censibus. An lusitania, inquit, Pacenses & Emeritenses.

EMISENI, populi in Emisena regione Apamena cœles Syriæ, ubi & Emisia ciuitas est. de quibus & in eodem titulo de censibus Paulus inquit: Imperator noster Antoninus ciuitatem Emisenorum coloniam iuris Italiæ fecit.

EMPHYTEOSIS, interpretatur insitio, ab emphyteuo quod est in sero siue planto: nam phyton est planta. Et quod in libris iurisconsultorum dicitur emphyteosis, & fundum dari in emphyteosim, proprie dicitur, hoc est in plantatione. Impropie dicitur, de omnibus alijs, puta de area, & quicunque possunt ut ipsi dicunt, recipere meliorationem. Inde deducitur emphyteoticus, & emphyteotarius.

EMPHRACTA, nauigia dicuntur que sunt tecta, à uerbo Græco emphracto quod est tego siue claudio, sicut econtrario aphracta dicuntur que non sunt tecta, sed aperta. De quibus Cice. ad Atticum: Nos Rhodium aphractis tranquillitates aucupaturi eramus. Vlpianus libro 14. dig. de exercitoria actione l. j. Quædam, inquit, sunt naues onerariæ, quædā emphractæ. non emphractæ, ut pleriq; omnes codices habent.

EMPLASTRVM, ut inquit Celsus lib. quinto, hoc distat à pastillo, quod emplastrū liquati aliquid accipit: in pastillo tantum arida medicamenta aliquo humore

*iunguntur: dictum emplastrum ab emplatto, quod est fingo, siue formo.* Caius lib. 41. digest. de acquirendo rerum dominio. l. ideo.

**E P I D E M I T I C I** dicuntur hospitiorum metatores in urbe, dicti ab epidemia quod interpretatur in urbem aduentus. Vnde in C. Iustinia. tit. est de epidemeticis et metatis. Lege uerbum metator, siue metatus.

**E P I S C O P U S**, speculator siue explorator interpretatur, dictus ab episcopo quod est considero. Cicero scribit se episcopum designatum a Pompeio ut oram Campanie maritimam specularetur. Arcadius de muneribus. l. munerum. Episcopi, inquit, qui praesunt pani, et ceteris uenalibus rebus.

**E P I S T O M I V M**, inquit Merula, est foramen per quod aqua defluit ex concha, labro, uel cratero. Varro de re rustica libro tertio: Epistomijs uersis ad unumquenque factum. dictum, inquit, quasi in ore: uel potius ab epistomizo, quod est obturo, ut sit epistomium canalis operculum. Vlpianus libro 19. titulo de actione empti et uenditi. l. fundi. Castella plumbea, opercula puteorum, epistomata. Legitur et epitonium apud Senecam lib. 13. epist. Nisi aqua, inquit, rigentem epitoniam fuderint. Et apud Vitruvium lib. 10. saepe in eodem significatu ponitur. Interpretatur autem epitonium, ligamentum.

**E P I T O M E**, interpretatur breuiarium, id est, ubi res in compendium rediguntur. ut Vlpianus libro 46. de acceptilationibus. l. an inutilis. Epitomatum, inquit, liber Labeonis. Utroq; enim modo declinatur, epitome es, et epitoma atis.

**E P V L V M**, inquit *Valla*, est conuiuum numerosis ciuibus exhibitum in honorem deorum, aut in ostentationem magnificencie, aut in funere parentali. *Gellius* libro undecimo. Solenni die epulum Ioui libaret, atque ob id sacrificium Senatus in capitolio epularetur. *Horatius* secundo Sermo. Gladiatorum dare centum Damnati populo paria atq; epulum arbitrio. *Arrius* Iurisconsultus de legatis, in quadam lege, cuius initium est, ad munus: Vel si epulum, inquit relictum fuerit.

**E R E M O D I C I V M**, interpretatur desertio siue solitudo, nam eremus desertum interpretatur, et est eremodium quando reus damnatur ex eo quod in iudicio non comparuit, quasi desolatum siue desertū sit iudicium propter rei absentiam. *Pompo*. lib. quarto dig. tit. de minoribus x x v. annis. l. et si. Restitutionem eremodicij praestari debere. pro quo mendose hermocidium.

**E R G A S T E R I V M**, interpretatur officina, ubi ab artifice aliquod fit opus. nam ergon est opus siue officium. Ut in codice Iustiniani titulo de episcopis et clericis. l. omnis. Ex ergasterijs, inquit, et tabernis conquerere potuit. Item lib. undecimo de epidemeticis et metatis. l. In quaelibet, inquit, ergasteria, que mercimonij deputatur. *Papinianus* lib. 43. de uia pub. l. Aediles. Ut ante ergasteria nihil proiectum sit.

**E R R O N E S** serui dicuntur qui uagantur sine causa, animum tamen habent redeundi ad dominos. Fugitiuit tamen qui eo animo fugiunt, ut non redeant. Eo quoque modo ex proportione habent se desertores et emansores. *Arrianus* libro 49. de re militari. l. qui cum. Erro, in-

*quit, in seruis est ut emansor in militibus.* Item libro 21.  
*qui est de ædilitio edicto. l. quis sit fugitiuus.* Sed pro-  
*prie, inquit, erronem sic definimus, non qui fugit, sed qui*  
*frequenter sine causa uagatur.* Labeo ita definit erronem  
*paruum fugitiuum esse.*

**E T I A M** particula est consentientis, sicut Non, est  
*negantis.* Priscianus libro septimo, interroganti, legis  
*etiam uel non respondemus.* Plinius Cæcilius in epistola:  
*Studes inquam? respondit, Etiam.* Et illud ex euangelio:  
*Intellexistis hæc omnia? dicunt ei, Etiam.* Iurisconsultus  
*de uerborum oblig. l. j. & responderit quidni, etiam. nam*  
*utrumq; aduerbium consentientis est.*

**E T I A M N V M**, pro adhuc, apud Plinium & Cornelium Celsum frequenter legimus. Ouidius 13. Metam.  
*Etiamnum libera cœlo brachia. id est, adhuc.* Idē lib. 14.  
*Spectantem uultus etiamnum cæde madentes.* pro adhuc  
*utrobiq;. Vlpianus, tit. arborum furtim cæsarum. l.* Item  
*etiamnum reponi potest.*

**E V E S T I G I O**, pro continuo siue statim. Priscia. libro 18. Romani, inquit, euestigio dixerunt, uel quod stans  
*aliquis in eodem uestigio facit: unde statim quoque dici-*  
*tur: uel quantū tempus est in uno uestigio faciendo, quod*  
*est breuissimum.* Scæuola libro tertio de negotijs gestis. l.  
*diuortio facto.* Non, inquit, euestigio in officio deliquit.  
*Accursius quid euestigio esset, non intelligens, in princi-*  
*pio gestionis exponit.*

**E X A C T A**, dicuntur illa quæ sunt perfecta, & ad  
*quæ ultima, ut aiunt, manus imposita est: alias exacta*  
*sunt quæ iam præterierunt.* Virgilius primo Georgico-  
*rum*

rum: Exactum ad mensem pluia uentisq; carebit. Idem in tertio: Exactis grauidæ cum mensibus errant. Paulus libro 44. titulo de actio. & oblig. l. j. Exactissima, inquit, diligentia. in priori uidelicet significatione.

**E X A G G E R A R E**, est accumulare: nam agger ageris, est terra accumulata. Cæsar in commentario Hispaniensi: Mortes mortibus exaggerabat. & per translationem Cic. Nihil est ad exaggerandum orationē accommodatus. Vlpia. tit. de itinere actuq; priuato. l. unde. Aut deprimat, aut exaggeret iter.

**E X A V T O R A R E**, est militem sacramento militiae soluere: quemadmodum ediuerso autorare, est militem sacramento sibi obligare. Plinius Cæcil. in epist. Cæsar excusis probationibus centurionem exautorauit. Seneca in quarto epistolarum: Exautoratus ac liber qui uiuit uita priuata. Vlpianus tit. de ijs qui notantur infamia. l. quod ait. Sed & si eum, inquit, exautorauerit. id est, insignia militaria detraxerit. Quod si per insignia militaria Julianus intelligit horum insignia, falsum est interpretationem: nam potest quis exautorari, & non amittere insignia honorum: emeriti nanque exautoratur citra honorum amissionem. Est enim, ut diximus, exautorari, à militia dimitti. Itaq; commodius exposuit Arrianus in titulo de liberali causa. l. qui de libertate. Exautoratus, inquit, id est à militia remotus. In quo significatu accipendum est in titulo de re militari.

**E X C O N S V L** dicitur qui perfunctus est consulatu, sicut exquæstor qui perfunctus est quæstura. usitatius tamen ille dicitur consularis, hic uero quæstorius. Iu-

stinianus in procœmio Codicis: Thomam, inquit, questorem sacri palatij & exconsulem. non quod consulatum dimisit, ut exponit Accursius, sed quod est perfunctus cōsulatu, ut diximus.

**E X E M P T I L I S**, e, dicitur illud quod potest eximiſiue detrahi ab alia re. Columella lib. nono de re rustica: Idcirco sunt exemptiles, ut cum res exigit, à paxillis deducatur liberum exitum præbeant. Vlpia. de auro & arg. legato l. argumenta. Lapidés siquidem exemptiles sunt.

**E X P U N G E R E**, idem est quod suprà diximus, despungere, hoc est calamo transuerso rationem cancellare. Plautus in Cistel. Nunc quod reliquum restat, uolo persoluere, ut expungatur nomen, ne quid debeam. Persius: Pupillum' ue utinam, quem proximus hæres Impello, expungā. Hermog. tit. de diuer. & tempor. l. in omnibus. Rationes, inquit, recipub. subscriptæ & expunctæ.

**E X T R I C A R E**, est quod intricatum est expeditre atq; resoluere, siue enodare. Vlpianus libro nono ad legem Aquiliam. l. si seruus seruum. Si cum margaritas, inquit, maritus dedisset in usum extricatas, easq; inuito, uel in scio uiro perforasset. Margaritæ namq; non possunt intricari in linea uel in uestem, nisi perforentur. igitur extricatas dixit pro solutas, & non perforatas neque in linéam redactas.

## F

**F A L X** messoria, est qua frumentum metitur. Falx putatoria, qua uites aliæq; arbores putantur. Falx fœnaria, qua fœnum secatur, quæ dumaria quoque dicitur, qua etiam spinæ uepresq; cæduntur. Vlpia. de fund. instr. l. instru-

1. instrumenta. Falces, inquit. messoriae, putatoriae.

FAMILIA, tum pro pecunia accipitur rebusq; hæreditarijs, ut in lege duodecim tabularum cuius uerba ponuntur in titulo de uerborum significatione: Agnatus, inquit, proximus familiam habeto. id est, hereditatem. hinc titulus apud Iurisconsultos de familia herciscunda, id est, diuidenda hereditate. Alias familiæ appellatione famuli & serui propriè continentur: unde & familia dicta est. Vlpianus libro 43. de ui & ui. l. 1. Familiæ, inquit, appellatione serui cōtinentur. Item Vlpia. lib. 21. de ædili. edict. l. ædiles. Familiæ, inquit, appellatione omnes qui in seruitio sunt, cōtinētur, etiā liberi. Hinc patresfamiliâs et familiarū dicti. & dicitur familiâs in genitivo casu, quod apud antiquiores nomina primæ declinationis in a terminata, as faciebant genitiū: ut Næuius: Rubens atq; purpureus filij terras. et Liuius Andronicus: Escas habemus mentionem. pro terræ atque escæ: neq; habet accētum in ultima, quomodo nunc uulgas loquitur, sed in tertia à fine familiâs, hoc est, in secunda syllaba.

FERRVMINARE, est per eandem materiam conglutinare, quemadmodum ferrum ferro adglutinatur, non interueniente alia materia. Plautus in Milite: Labra labellis ferruminauit, id est, premendo adglutinauit. Pomp. libro 41. de acquirend. rerum domin. l. quicquid: Quicquid, inquit, alieno argento ferruminaueris. Cassius quoque apud Paulum: Ferruminatio, inquit, per eandem materiam facit confusionem. lege replumbo, as, & quo differat à ferrumino, as.

FIGLINA, æ, est officina figuli, id est, illius qui fa-

cit uasa fictilia. Plinius lib. septimo: Figlinas, inquit, primus inuenit Chorœbus Atheniensis. Idem libro 35. In crudis fictilibus urunt donec figlinum percoquatur. id est, opus figuli in figlina factum. Iurisconsultus de auro & argento legato. l. fundi. Cum in fundo, inquit, figlinas haberet. & in titulo de seruitutibus rusticorum prædiorum, sæpe.

F I S C U S, siue fiscina, siue fiscella, textum est ex sparso. Est præterea fiscus, textum in quod oliuæ tritæ immittuntur, ut torculari expressæ exudent oleum cū amurca. Columella libro duodecimo: In trita olina nouo fisco includitur. Plinius libro 15. Fiscinas olearias spōngia tergendas. Vlpianus in titu. locati. l. sed addes. Fiscos, inquit, quibus ad premenda olea utimur. Fiscus ex sparto quoque est saccus in quo numerosiores pecuniae adseruantur. Iuuenalis: Incremēta domus ærata multus in arca Fiscus. Cicero in Verrem: Fiscos complures cum pecunia. Sed quia principis pecuniae uectigales ita magnæ sunt ut nequeant loculis aut crumenis minoribus capi, cōsueuerūt deferri in sparteis fiscis. Inde fiscus pro pecunia publica plerunque accipitur. Iuuenalis: Quicquid conspicuum pulchrumq; ex æquore toto est, Res fisci est ubiunque natat. Vnde apud iurisconsultos titulus est, de iure fisci. & de fiscalibus debitoribus & exactoribus sæpe legimus.

F L A V I U S, cognominatus est Iustinianus Imperator, non quod Flauios deuicit, ut Accursius interpretatur, neque quod capillos habuerit flauos, quod nusquam legitur, sed quod fuerit ex gente Flavia, ex qua fuerunt

Vespas

Vespasianus, Titus, & Domitianus. De quo Iuuenalis:  
Dum iam semianimē laceraret Flavius orbem vltimus.

F O M E N T A , sunt medicamenta, dicta à fruendo,  
hoc est, calefaciendo & recreando. Ouid. Fomentisq; iu-  
uas uulnera nostra tuis. Inde est fomentare, & fomenta-  
tio, ut apud consultos iuris de leg. iij. l. si cui. Nec ea qui-  
dem quæ fomentationis causa parata sunt.

F O R M A sutoris, est lignum illud quo calcei infor-  
mantur. Horat. secundo Serm. Si scalpra & formas non  
sutor nautica uela. Vlpianus in tit. ad legem Aquiliam. l.  
sed & si. Si forma, inquit, calcei ceruicem percussit. Item  
Vlpianus tit. locati. l. item queritur. Si forma calcei tam  
fortiter ceruicem percusserit.

F U G I T I V U S seruus, quo distet ab errore, diximus  
in uerbo erro, onis. Definitur autem ab Offilio in tit. de  
ædilitio edicto, in hunc modum: Fugitiuus est, qui extra  
domini domum, fugæ causa quo se à domino celaret, mā-  
sit. Fugitiuarius autem est, ad quem se fugitiuus recepe-  
rat: locus quoq; fugitiuarius dicitur, ut apud Varronem  
lib. iij. de re rustica. de cochleis: Fugitiuarius, inquit, pa-  
randus est illis locus. Papinianus lib. 21. de præscriptis  
uerbis. l. si apud. Si apud te, inquit, ego & fugitiuarius  
deposuimus.

F U L C I M E N T U M , sustentaculum dictū à fulcien-  
do, hoc est, sustentando siue sustinendo. Macrob. 7. Satur.  
Desertum iam fulcimentis suis labitur in ruinam. Apu-  
leius in primo de asino: Pede altero fulcimentum quo su-  
stinebat repello. Vlpianus de fundo instruc. l. quæ situm.  
Proinde, inquit, fulcimenta si qua habeat.

F V L T V R A quoq; idem est quod fulcimentum, dicitum utrumq; à fulciendo, id est, sustinendo. Vnde Horat. per translationem dixit in secundo Serm. Ingens accedat stomacho fultura ruenti. Et Plinius Cæcilius in Epistol. Corporis fulturis animus sustinetur. Vlpianus in tit. si seruitus uendicetur. l. sicuti autem. Sicuti, inquit, refectio parietis ad uicinum pertinet, ita & fultura ædificiorum uicini.

F V L L O , onis, est qui uestes polit emaculatq; non quod uulgò persuasum est, pannarius, id est, lanicij artifex. Martialis: Non tam saepe teret linte a fullo tibi. Fullonicam Nicias Megarensis primus omnium inuenit, ut scribit Plin. 7. Plautus in asinaria: Non didicisti fullonica, non mirandum est. Vlpianus lib. 47. de furtis. l. itaq; fullo. Fullo, inquit, uel sarcinator qui polienda uel sarcenda uestimenta accipit. In alia quoq; lege cuius initium est, sed si. diuersoria uel fullonica appellantur.

F V N D V S , est quicquid in solo possidetur, puta prædium urbanum, prædium rusticum. Seruius in illud Virg. secundo Georg. Diues opum uariarum ac latis ocia fundis. Fundus, inquit, dicitur ex eo quod omnium rerum sit fundamentum. Vlpia. tit. de uerb. signific. l. locus, inquit, est, non fundus, sed portio fundi. Fundus autē aliquid integrum est. & infrā lege, questio. & iterū lege, fundi. Fundus pro uasis potorij fundamēto, ad cuius similitudinem, inquit Festus, fundus dicitur ager qui planus sit. Martialis lib. s. Hi duo longæuo censemur Nestore fundi. Paulus lib. 41. de acquir. rerum domin. l. sed si. Cuiusmodi poculi fundus ille sit: Scypho, inquit, fundus aut ansa.

GARVM

## G

**G**A R V M falsugo erat ex certis quibusdā piscibus,  
**G**puta scombro, halece, lacerto, & huiusmodi: ute= bantur autem eo pro salsa mento siue conditura aliorum ciborum. Gari meminerūt poëtæ multis in locis. Plinius, Apicius, Galenus, cæteri. Vlpia. lib. 33. de penu leg. l. qui penum. Garum, inquit, amurca, mel. Accursius salsa men= ti genus esse dicit, ipsa ueritate coactus, sed quod sit non dicit.

**G E N I V S**, est deus uniuscuiusq; hominis præses, cui nos angeli boni nomē indidimus. Symmachus in oratione contra Christianam religionem, cui respondit D. Ambro sius: Ut animæ, inquit, nascentibus, ita populis fatales ge= nij diuiduntur. De genio principis Persius poëta: Dijs igitur genioq; ducis centum paria ob res Egregie gestas induco. Vlpia. lib. 12. de iure iurando. l. si duo. Si quis, in= quit, iurauerit in re pecuniaria per genium principis.

**G E R M A N I C V S**, Drusi Neronis filius ex iuniore Antonia, M. Antonij Triumviri filia à Tiberio Cæsare patruo adoptatus fuit, quod ab Augusto non alia ratio= ne fuerit adoptatus quam si ab eo Germanicus adopta= retur. ex Tranquillo. Et Iustinianus Imperator lib. Insti= tutionum primo, sic inquit: Diuus Augustus non antea Tiberium adoptauit, quam is Germanicum adoptau= rit, ut protinus adoptione facta incipiat Germanicus Augusti nepos esse. Accursius tanquam de personis ignotis & obscuris loquës, quendam nomine Tiberium, & quendam nomine Germanicum appellat, qui quasi non sit Tiberius qui successit Augusto in principatu, &

G 2

*Germanicus ille qui præterquā ingenij monumenta quæ adhuc extant, & præterquā quòd Gaium Caligulam genuit, & quòd quæsturam per quinquennium administrauit, & quòd bis consul fuit, quiq; mortuo Augusto cum ab exercitu Cæsar salutaretur, Imperium recusauit, atq; de Germania triumphauit, unde illi cognomentum: quiq; ad orientem profectus, Armeniae regem superauit, Capadociam in prouinciæ formam rededit, atq; Antiochiae obiit, agens ætatis annum quartum & trigesimum.*

*G Y M N A S I V M, locus est ubi nudi exercentur, maxime in palestra, quoniā gymnos nudus interpretatur. Manilius lib. 4. Gymnasium præfert uultu, fortesq; palestras. & per translationem pro schola & literarum exercitio. Iuuenalis: transi Gymnasia atq; audi facinus maioris Abollæ. de excusation. l. sed &. Medicos, inquit, imunes esse à gymnasijs.*

*G L A N S, complura significat, sed significatus deducuntur ab arboris glande, cuius tredecim genera ponit Plin. Iurisconsultus tamen latius diffinit glandis appellationem in tit. qui est de glande legenda. l. prima. Glandis, inquit, nomine omnes fructus continentur. Item de uerborum signific. l. qui uenenum. Item l. sylua.*

*G L A R E A, terra est lapillis permixta, qualis est que post effossum terræ tergū ex scrobibus eruitur. Virgil. 2. Georg. Nam iejuna quidem cliuosi glarea ruris. Columela lib. 2. Cum parte dimidia lapides minutos uel glaream repererint, Paul. lib. 3°, de aqua pluvia arcenda. l. supra iter glarea iniecta. Item de uia publica. l. j. In uiam terrenam glaream immittere.*

GLAV

**G L A V C I N V M**, unguenti genus est, siue ex herba glaucio sic dictum, quod ualeat ad oculorū scabritias, siue glaucinum, id est, uiride, quale est quod chirurgi temp̄ statis nostræ Vnguentum apostolorum uocāt. Pompon. tit. de auro & arg. leg. in l. in argento. Vnguentis autem legatis, non tantum ea legata uidentur quibus ungimur uoluptatis causa, sed & ualeitudinis, qualia sunt conagna, glaucina, erina, rhodina, murrhia, nardum purum. Conageni unguenti à Congena Syria unde aduehebatur, cognominati, meminit Galen. in 3. decameridon. Crina, unguenta sunt quæ fiunt ex lilio rubenti. Plin. lib. 21. ubi de lilijs generibus: Est, inquit, rubēs liliū quod Græci crinon appellant. Rhodina dicta à Rhodo quod est rosa. Per Nardum purum, pisticū, id est, non adulteratū, intelligit.

**G R A M M A T O P H Y L A C I V M**, locus est ubi publice literarum monumenta seruantur, à grammatis, hoc est literis, & phylazo seruo. dicitur etiam archion siue archiuum. Vlpia. lib. 48. dig. tit. de pœnis. l. moris. Quo loco, inquit, in publico instrumento deponuntur, archiuo fortè uel grammatophylacio.

**G R A S S A R I** uidetur uerbum ab impetu gradiēdi, & qui ex insidijs uiatores adoriūntur, grassatores dicimus. Iurisconsultus de suspectis tutoribus. l. quia grassandi, inquit, in re familiari facultatem præstat. & ibidem l. tutor. Si fortè, inquit, grassatus sit in tutela. in l. quoque cuius initium est, apud Labeonem. Deinde, inquit, mulæ à grassatoribus fuerint ablatae.

**G V T T V R O S V S**, is dicitur qui guttur habet tumidum, quale genus hominū in locis montanis uidemus.

de quibus iuuenalis: *Quis tumidum guttur miratur in aliis. Vlpia. tit. de ædilitio edicto. l. qui clavum.* Si quis, inquit, natura gutturosus sit.

## H

**H**A M V S, cum sit quo pisces capiuntur, et hamis præterea sint ex quibus lorica texitur, necesse est apud Vlpia. in tit. de fundo instr. l. instrumenta. per hamos nos intelligamus annulos quosdam ferreos, ad multos usus domesticos, puta è quibus equi, muli, et asini diliguntur. Canales, inquit, et harpagones, et hamos instrumento contineri constat.

**H A R P A G O N E S**, unci sunt ad rapiendum apti, ab harpago quod est rapio dicti. hos Plinius scribit ab Anacharsi Scytha primum inuentos. Liuius lib. 30. Afferes ferreo unco præfixi, harpagones uocant milites. Item Vegetius lib. 2. de re militari. Habet legio ferreos harpagones, quos lupos uocant. Lege hamus suprà.

**H E R C I S C O**, is, est diuidere: nam herciū est diuisio. Cic. 1. de orato. Qui quibus uerbis herciū fieri oporteat, nescit. Idem Herciscūdæ familiæ causam agere nō posset. Apul. lib. 9. de asino: Neq; herciscūdæ familiæ, sed de cōmu ni diuidūdo formula tractabo. lib. 10. dig. ti. est de fa. herc.

**H E R M A P H R O D I T V S**, Veneris et Mercurij filius fuit, unde et nomen illi, quoniam Hermes est Mercurius, et Aphrodite Venus. hic cum in Salmacidis fonte nataret, à Nympha deprehensus, ab eademq; implicitus utriusq; naturam reportauit: qua de re fabula est perlonga apud Ouid. 4. Meta. nūc autē hermaphroditi uocātur quos antiquiores androgynos, id est, semiuiros et semifœminas

minas appellant. Plin. lib. 7. & Gellius lib. 8. sunt autores. Vlpia. tit. de liberis & posth. l. sed est. Hermaphroditus, inquit, & maxime si in eo uirilia praeualebunt.

**H Y D R O M E L I**, à Græcis dicitur, quæ sit apud Latinos aqua mulsa. Hispani uocant adoxa. cōstat namq; ex aqua & melle, unde & nomen: nam hydor est aqua, & meli mel. Plin. lib. 14. Fit uinum, inquit, ex aqua & melle tantum: hoc uocatur hydromeli. Idem lib. 31. Hydromeli quoq; ex imbri puro cum melle temperabitur. Vlpia. lib. 33. dig. in tit. de tritico & uino legato. l. si quis. Neq; ceruisia, inquit, continebitur, neq; hydromeli.

**H I E R O P H Y L A X**, acis, interpretatur sacrorum custos, quod hieros est sacer, & phylazo custodio. Latine tum æditui, tum æditimi appellantur. Scæuola in tit. de annuis leg. l. annua. Sacerdoti, inquit, & hierophylaci & libertis. pro quo mendosè legitur gerophylaco.

**H I E R A P O L I S**, nomen est compluriū ciuitatum: alia namq; est in Asia proprie dicta, alia in Creta, alia in Theutrania, alia in Syria: unde Hierapolitani sunt appellati, de quibus Iuriscons. in tit. de aqua cot. l. j. ubi legitur apud Hieropolitanos fieri aquis calidis irrigationē. Item de poenis. l. crimen. Hieropolitanis, inquit, scripserunt.

**H Y P O C A V S T U M**, fornax est in balneo subdita caldarijs calfaciendis: dictum ab hypo, quod est sub, & cauo calefacio. Est præterea hypocauſtū, fornax ad calfaciendum cubiculum siue cœnaculum, uulgas appellat stufas. Papinius in primo Syluarū: Tenuem uoluūt hypo causta uaporem. Plin. Cæcil. in epist. Cohæret hypocauſtū & si dies nubilus immisso uapore solis uicē supplet.

Ambrosius lib. 5. hexameron: De hyeme forsitan quereris, quia nulla tibi hypocausta anhelantibus ignibus uaporatur. Vlp. de leg. lib. iij. l. ligni appellatione. Siue diætarum, siue hypocaustorum, siue ad calcem. Idem in tit. mandati. l. si quis mihi. Sphaeristerium, inquit, hypocausta, et quædam ualeudini apta. Accursius nunc ægrotorum dicit esse stationem, nunc subterraneum locum.

HYPOTHECA, interpretatur suppositio, et significat etiam pignus quod pro aliqua re supponitur. Vnde et apud Iurisconsult. titul. est de distractione pignorum uel hypothecarum. l. cum tabernam. Non certificatione, inquit, sed suppositionem à me accipere. hoc est, uocabulo usitatori, hypothecam. Item lib. 20. de pignor. et hypothec. l. res. Inter pignus, inquit, et hypothecam tatum nominis sonus differt. Hinc hypothecarius dictus, penes quem remanet hypotheca siue pignus. ut in tit. de separationibus. l. j. Hypothecarius, inquit, creditor.

HORREM, est repositorium non solum frugum, frumenti, et uini, sed cæterarum quoq; rerum, que adseruari consueuerunt. De horreo frumenti Virgil. primo Georg. Illius immensæ ruperunt horrea messes. De horreo uini Horatius in Odis, et Iurisconsult. in tit. de fundo instr. l. tabernam. Legauerat, inquit, horreum uinariū cū uino et uasis et instrumēto. De horreo aliarū rerū in tit. de emptione et uend. Clauibus, inquit, traditis, ita mercium in horreis conditarū possessio tradita uidetur, si claves apud horrea traditæ sunt. Item in tit. locati. Dominus, inquit, horreorū effractis et compilatis horreis nō tenetur. Hinc horrearius, qui præpositorus est horrei custo  
diæ. ut

diæ. ut libro 19. digestorum, in titulo, locati & conducti.  
1. cum in plures. Rerum, inquit, custodiā quam horre=rius habet. Item 1. Cælius. Cum horreario, inquit, agendum. Et merces horreaticæ dicuntur, quæ in horreis adseruantur. ut in titulo, de conditis in publicis horreis. 1. nulli. Codice. Nulli, inquit, posthac horreaticas species contingendi copia datur.

## I

T A N T H I N V S, na, num, color est uiolaceus, quoniam ion Græcè, uiola interpretatur Latinè. Plinius lib. 22. Appellata, inquit, ia, & ab ijs ianthina uestis. Persius: Hic aliquis cui circa humeros & ianthina læna est. Mar talis: Coccina famosæ donas & ianthina mœchæ. Vlpia nus de legatis tertio. 1. si cui. Buccinum, inquit, & ianthi= num continetur. Et ferè quoties in libris digestorū, & in literis sacris legitur hyacinthinus color, intelligēdus est uiolaceus, id est, coloris uiolæ.

I L I E N S E S, dicti sunt populi ab urbe Ilio, clarissima omniū quæ fuerunt in Asia, uel ex eo quod inde profecta est tota Romanorum nobilitas. De quibus Callistratus libro 27. digestorum, titulo de excusationibus. 1. non tātum. Iliensibus, inquit, propter inclytā ciuitatis nobilitatem, & propter coniunctionem originis Romanæ.

I M P O S T O R E S, dicuntur deceptores, & qui fal= lunt præstigijs quibusdam: dicti ab imponendo, quod est decipere. Iuuenalis: Facile est barbato imponere regi. & Martialis: Callidus imposuit nuper mihi caupo Rauenæ. Vlpianus libro 21. de ædilitio edicto. 1. ob quæ uitia,

*Non gulosos, inquit, nec impostores. Accursius impostores interpretatur qui imponunt aliquid alicui. Inde dicta impostura, pro deceptione. Ambrosius in epistola ad Corinthios primam: Omnis impostura tenebras petit, & falsa pro ueris ostendit. Vlpianus, lib. 47. de criminis stellionatus. l. stellionatus. Item si quis imposturam fecerit.*

**I N A V R I S**, quod à Græcis dicitur enotion, ornementum est ex auribus fœminarum dependens. Plautus in Menech. Inaures da mihi faciendas pondo duūm nummūm. Vlpianus de auro & argento legato. l. argumento. Veluti inaures, armillæ, uiriolæ. Item l. pediculis. Inaures in quibus duæ margaritæ.

**I N C I L E S** fossæ, siue incilia, sunt quæ à Græcis dicuntur dyoriges, & sunt per quas aquæ pluviales deducuntur ex satis. Apuleius libro nono de asino: Viam lacunosis incilibus uoraginosam. Cato de re rustica: Per hyemem aquam de agro depellere oportet, fossas inciles puras habere. Festus Pomp. Fossæ quæ in uijs fiunt ad deducendum aquam siue deriuationes de riuo communi factæ, inciles dicuntur. Vlpianus libro 40. digestorum, titulo de riuis. l. j. Incile est locus depresso ad latus fluminis, ex eo dictus quod incidatur. Inciditur enim uel lapis, uel terra, unde primum aqua ex flumine agi possit. Idem Vlpianus in eodem libro, titulo ne quid in flumine publico. l. j. Si incile, inquit, ducat, & alio loco fiat. Meminit quoque incilis in titu. de aqua cotid. l. j.

**I N C R V S T A R E**, est crusta parieti, uel alicui alteri rei inducere, siue ex calce, gypso, argilla, siue ex lapide, aut alia materia. Horatius primo Sermonum: Syncerum cupi

*cupimus uas incrustare. Varro apud Marcel. Pauimenta, inquit, & parietes incrustatis. Proculus libro octavo digestorum de seruitutibus urbanorum prædiorum. l. qui dam. Parietem, inquit, cōmunem incrustare licet. Et pau lò post: Quod obseruari in incrustatione oportet. Item de uerborum significatione. l. impensæ. Paulus ait, incrustationes, loricationes, & picturæ.*

**I N D I C T I O**, est denunciatio, quia indicere est denunciare. Horatius in primo Sermonum: Venti indico bellum. Idem in episto. Indictis comes ire Latinis. Vlpianus libro 38. digestorum, titulo de operis libertorum. l. libertus. Cui post inductionem, inquit, operarum. Atque aliubi: Si inductione temporariæ indictæ sunt.

**I N D U C I A E**, sunt dictæ quòd in diem certum ab utrisque hostibus dantur. Plinius libro septimo: Indicias, inquit, Lycaon primus inuenit. Paulus libro 49. digestorum, titulo de captiuis. l. postliminium. Indiciæ, inquit, sunt, cum in breue & in præsenti tempore conuenit, ne iniucē se lacefferent hostes. Accursius satis inepte inter inducias & treugam differentiam facit, cum treuga non sit magis latinum, quàm guerra, quàm omagium, quàm feudum, quàm tenuta, quàm mille alia, quibus isti nulla necessitate coacti utuntur.

**I N D U C E R E**, præter alias sensus quos habet plures, significat etiam expungere & cancellare, hoc est, transuerso calamo quod scriptum erat delere. Vlpianus in titulo de ijs quæ delentur. l. cancellauerat. Cancellauerat autem quis testamentum uel induxerat. Item: Si nomina omnia induxerat ut proponitur. Item: Quæ in te-

*stamento legi possunt, ea inconsulto deleta uel inducta nihilominus ualent, consulto non ualent. hinc inductio pro abolitione & litura.*

**I N F I C I A T I O**, est negatio. ab inficiar, inficiaris, quod est ire inficias, siue negare. Cice. de partitionibus: Rationem, inquit, habet criminis, inficiacionemq; facti. Neratius libro 45. digestorum, titulo iudicatum solui. l. ex iudicatum. Ad inficiacionem, inquit, compelli eum qui sine iudicio partem dare paratus est.

**I N S T I T O R**, ut inquit Iurisconsultus, libro 14. digestorum, in titulo de institoria actione. l. institor. est qui tabernæ loco' ue ad emendum uendendum' ue præponitur. Atque ibidem: Institor, inquit, appellatus est ex eo quòd negocio gerendo instet. Iuuenalis: Institor hybernæ tegetis niuei q; cadurci. Accipitur etiam pro eo qui circūfert per urbem merces uænales: ut in eodem titulo. & apud Ouidium in primo de arte: Institor ad dominā ueniet discinctus emacem.

**I N S V L A** præter notam illam significationem, significat etiam domum in urbe ab alijs domibus seiunctam. Cornelius Tacitus: Germani suam quisque domum spacio circundat, nullis cohærentibus ædificijs, more insularum. Festus quoque Pomp. Insulæ, inquit, dictæ proprie quæ non iunguntur communibus parietibus cum uicinis, circuituq; publico aut priuato cinguntur: à similitudine uidelicet earum terrarum quæ fluminibus aut mari imminent. In hoc significatu crebrò reperitur insula apud Iurisconsultos. Vnde insularius, dominus siue custos huiusmodi insulæ.

INTER

**I**NTERPOLARE, est in aliam formam mutare, & quodammodo mangonizare. Plautus in Amphitrione: Illic homo me interpolabit, meumq; os finget de novo. Ambrosius ad Horatianū: Nostrorum peccatorum, in pœnis ultricibus interpolari. Vlpianus 21. digestorum titulo de ædilitio edicto.l. præcipiunt. Interpolat, inquit, ueteratores, & pro nouitijs uendunt. id est, in habitum nouitiorum mutant.

**I**N T E R T R I T U R A, siue intertrimentum, est (ut inquit Varro de lingua Latina) dictum ab eo quod duo inter se trita & diminuta sunt, ut in nummis aureis quod ex usu & attritione consumitur, & in uestibus alijsq; rebus que usu deteruntur. Liuius lib. 34. In auro, inquit, nihil intertrimenti fuit. Idem lib. 32. Intertrimentum argenti suppleuerunt. Scœuola lib. 33. de pignoratitia actio=ne.l. pignori. Quæro intertritiram quæ ex operis facta est. Atq; ibidem iterum utrobiq; pro detimento.

**I**RENARCHA, interpretatur pacificator, siue pa-  
cis conciliator: nam irene interpretatur pax, & archos  
est princeps. Erant autem irenarchæ uiri boni & pru-  
dentes, quales significat Virgilius in primo Aeneidos: Ac  
ueluti magno in populo cum saepe coorta est Seditio, sae-  
uitq; animis ignobile uulcus &c. Sub hoc habitu fuit  
Domitiani Cæsaris statua equo posita, de qua Papinius  
in principio Syluarum: Dextra uetat pugnas. Talem  
quoque Persius poëta significat, cum dicit: Fert animus  
calida fecisse silentia rixæ Maiestate manus. In Codice  
Iustiniano titulus est de irenarchis, quos Accursius inter-  
pretatur iram arcentes, quasi irenarcha nomen esset

**L**atinum. Martianus libro 48. in titulo de custodia & exhibitione reorum. l. diuus Hadrianus, irenarcharum saepe meminit.

**I S A V R I**, populi sunt Ciliciæ contermini, qui in mari quondam piraticam exercuerunt, quos Pub. Seruilius profligauit, qui cognomen Isaurici ex ea uictoria retulit. Iam uero Isauri & Cilices, pro piratis accipiuntur. ut Iuuenalis: Piratæ Cilicum. & Iustinianus in Codice, titulo de ferijs.l.prouinciarum.Latronum,inquit,& maxime Isaurorum.

**I S O S T A T E S**, potest interpretari æqualitatis recognitor: nam Isos interpretatur æqualis in Codice Iustiniano de ponderationibus & auri illatione. l. quoties. Quoties, inquit, de qualitate solidorum orta fuerit dubitatio, placet quem sermo Græcus appellat isostaten pro sua fide & industria, ut neque fallat neque fallatur, contentionem dirimere. Accursius interpretatur ab igos, uictoria, & state militia. neque enim igos est uictoria: sed nice: neque state militia, sed stratia: sed neq; uictoria & militia faciunt ad rem.

**I V G V M**, pro pari duorum animalium plerunque accipitur, ut apud Plin.lib.10.de aquilis. Vbi aquilarum, inquit, nō sit iugū. Varro de lingua Latina: Iugū, inquit, & iumentū à iunctu. Virg.5.Aenei. Nec sic undātia lora Concussere iugis. Vlpia.lib.21. dig. de ædilitio edicto. l. ædiles aiunt. saepe iugum in hac significatione ponit.

## L

**L A B R V M**, uas est patulū grandioris aquæ capax, qualibus in Bætica mea utuntur ex argilla fictis ad lauatri

Iauatrinam, et usus coquinarios. Virgilius octauo Aenei dos: Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen abenit. Cicero in episto. labrum si in balneo non est, fac ut sit. Vlpianus libro 19. titulo de emptione & uæditione. l. limes. La bra, inquit, salientes fistulæ. Accursius exponit labra, quia per labrum imaginis aqua salit, non minus inepte quam id quod aliubi Digitum interpretatus est, id est, quantum fluit per digitum statuæ

LACERTVS, piscis est, qui à Græcis colias dicitur. dictus lacertus quòd ad similitudinē lacertorum pieturas habet. Commendabantur autem lacerti Sexitani ex Hispaniæ urbe Sexi. Martia. Et sexitani ponatur cava lacerti. Ex lacertis autem fieri solita esse falsamenta, ostendit Cornelius Celsus dicens: Piscium qui ex media materia sunt, quibus maxime utimur, tamen grauiissimi sunt, ex quibus falsamenta quoque fieri possunt, qualis est lacertus. Sexitanorum falsamentorum meminit Strabo. Vlpia. in tit. de penu legata. l. qui penū. Lacertos, inquit, cum muria sua contineri, Labeo ait. Est autem Muria salsugo exudans ex piscibus salitis, qua utebantur antiquiores ad ciborum condituras.

LACUNAR, siue laquear, siue lacus, est tecti eleganter fabrica. Cicero quinto Thuscum. quest. Fulgentem gladium è lucanari seta equina appensum. Horatius in secundo Carminum: Non ebur neque aureum mea renidet in domo lacunar. Vlpianus titulo de fundo instruicto. l. quæsitum. Scalæ, inquit, quæ lacunaribus admouentur, instrumenti sunt.

LAPIS, pro milliario, hoc est, mille passibus, ali-

quando accipitur, quoniam antiquiores soliti erant milia quæq; passuum lapidibus signare: id quod uidemus in via quæ dicit Salmanticā ex Emerita Augusta. argenteā uulgs appellat. Martialis: Rura nemusq; sacrum dilectaq; iugera musis Signat uicina quartus ab urbe lapis. Idem alibi: Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum. Martianus tit. de excusationibus. I. propter litē. Ne ultra centesimum, inquit, lapidem tutelam gerat.

L A S E R, eris, quod à Græcis Silphium appellatur, succus est herbæ, quam in Cyrenaica regione inuentam Laserpitium uocant. à medicis & pharmacopolis tempore statis nostræ appellatur Assa. Plinius libro 19. Laserpitium, quod Græci silphion uocant, in Cyrenaica prouincia repertum, cuius succum uocant laser. Pau. in tit. de penitentia legata. I. non omne. Sed quod quidam, inquit, negaverunt piper ligusticum, careum, laser, & cætera eiusmodi, in penitentia non esse, improbatum est.

L A T V S clavis, quemadmodum diximus in uerbo clavis, nodus erat ex purpura, siue ex auro uesti intertextus, & qui poterant uti huiusmodi uestibus, tum Latyclavij, tum Angusticlavij dicebantur. Erat autem uestis senatoria, ut exponit Acron, in illud Horatij primo Sermonum: Quo tibi Tulli, sumere depositum clavum fieri, tribunum. Plinius, lib. octauo: Tunicam lati clavi in modum gausapi texti. Ouid. quarto de trist. Induiturq; humeros cum lato purpura clavo. Iurisconsultus in quadam lege, cuius initium est, Imperator. Ut ecce, inquit, si uxori viro lati clavi, petenti. pro lati clavio.

L A V T I C A, dicuntur quæcunque ad lauitiam atq; elegan-

elegantiam cultus & mensæ pertinent. titu. de auro &  
arg. leg. l. argumento. Mundo, inquit, muliebri continen=  
tur lautica, acus, reticula, & huiusmodi.

LAXAMENTVM, siue laxitas, dicitur quies siue  
cessatio à labore. Valerius de fortitudine. Ad confirmans,  
inquit, animos salubre laxamentum daret. Cicero in  
primo officiorum: Adhibenda est, inquit, cura laxitatis.  
Nerat. lib. 50. tit. de uacatione & excusat. mu. l. tempus.  
Cum laxamento quodam itineris.

LECTICA, est uehiculum in quo quispiā fertur ab  
hominibus: quòd si à quatuor uehitur, tetraphorum dici  
tur: si à sex, hexaphorum: si ab octo, octaphorum. Mar=  
tialis: Laxior hexaphoro tua sit lectica licebit. Et Iuuena  
lis: Densissima centum Quadrantes lectica petit. eadem  
& Sella dicitur. unde idem poëta subdit de eadem lecti=ca:  
Ostendens uacuam & clausam pro coniuge sellam.  
Paul. lib. s. de seruitutibus rustic. præd. l. qui sella. Qui sel  
la, inquit, aut lectica uehitur, ire, non agere dicitur. Ac=  
cursius sella, id est, equo: lectica, id est, curru interpreta=  
tur, quod utrung; ex eo quod diximus falsum est.

LECTICARIVS, seruus est qui lecticam humero  
fert. Sueton. in Othone: Muliebri sella in castra conten=dit, ac deficientibus lecticarijs cum descendisset. Seruius  
Sulpi. in quadam ad Ciceronem epistola: Coactus, in=quit, sum in eadem illa lectica lecticarijsq; meis in urbem  
eum referre. ut in tit. de legatis primo. l. Si ex toto. Si ita,  
inquit, legatum fit lecticarios octo. Item vlp. de leg. iij.  
l. item. Legato continentur mancipia, puta lecticarij qui  
solam matrem familiâs portabant.

**L I B E R I**, orum, non solum dicuntur filij, sed etiam nepotes, pronepotes, & deinceps: & quanquam non declinetur nisi in numero multitudinis, de uno tamen liberos dicimus. Ex A. Gellio lib. 2. Vlpia. in tit. de pollicitationib. l. inter liberos. nepotem quoque contineri diuus Pius rescripsit. Item Callistratus tit. de uerborum sign. l. liberorum appellatione. &c.

**L I B E R T I N U S** à liberto non eo differt, quod uul-  
gus putat: & cum dixi uulgaris, non excludo Accursium,  
qui & ipse unus est ex imperita multitudine, nam cum  
idem sit libertus quod libertinus, sola ratione differunt,  
quoniam libertus nomen est ad aliquid, semperq; refer-  
tur ad eum cuius est libertus, hoc est ad patronum: ut li-  
bertus Cæsaris, libertus Ciceronis. & de operis liberto-  
rum, subaudi quas debent suis patronis liberti. Liberti-  
nus uero nomen est absolutum, tantumq; dicit conditio-  
nem, hoc est, tertium illud genus hominum, qui nec sunt  
serui neq; liberi. Hinc est quod Iustinia. in primo lib. In-  
stitutionum titulum fecit de ingenuis & libertinis, quia  
ibi non agitur nisi de conditione nullo habito respectu  
ad patronos. Hāc differentiam primus omnium animad-  
uertit adnotauitq; Laurentius Valla uir harum rerum  
diligens indagator atq; acerrimus inuentor.

**L I B I T I N A R I V S**, dicitur funeris curator, quem  
suprà diximus desinatorem appellari: nam pollinctor est  
qui cadauer effert, comburitq; aut sepelit. dicti sunt au-  
tem libitinarij à libitina, id est, funere, dicta libitina à Ve-  
nere libitina, quæ Romæ habuit templum, iuxta quod uē  
debantur quibus erat opus ad funus, puta unguenta, ly-  
chini,

thni, papyri, cerei, funalia. Sed cur ea iuxta Veneris tem  
plum, quæ iocorum uoluptatumq; dea est, uendebantur,  
Plutarchus in problematis causam narrat, ut uidelicet cū  
homines libidinibus dant operam, meminerint se aliquā=do morituros. Vlpian.lib. 14. tit. de institoria actione.l.  
quicunq;. Si libitinarius, inquit, seruum pollinctorem ha=buuerit, isq; mortuum sepelierit. Accursius desipit, nescio  
quæ somnia referens.

**L I B R A R I V S**, est qui libros scribit: nam scriptor  
non tam dicitur qui libros scribit, quam librorum com=  
positor. Mart. de libris suis: Non meus est error, nocuit  
librarius illis. Cice. 3. de Orat. Neque librariorum notis,  
sed uerborum & sententiarum modo. Callist. tit. de iur.  
immu.l. quibusdam. & sape alijs.

**L I C I T O R**, aris, est in auctione precium pro re ue=  
nali offerre. Plin.lib. 7. Aristidis pictoris unam tabulam  
centum talentis rex Attalus licitatus est. Inde licitator,  
qui eiusmodi precium offert. Cice. in epist. Ad Marium:  
Quoniam precium tuum noui, in licitatem potius po=  
nā, quam illud minoris ueneat. Licitatio quoq;, ut Paul.  
lib. 39. dig. tit. de publicanis & uectig.l. licitatio. Licitat=io,  
inquit, uectigalium, quæ calore licitantis, &c. Et pau=lo post: Licitatores, inquit, uectigalium.

**L I C T O R E S**, dicuntur qui ante Prætores, aut Con=  
sules ferebant insignia magistratum, hoc est, uirgarum  
fasces & secures: dicti à ligando, ut scribit Gellius lib.  
11. quod uidelicet iussu Consulum aut Prætorum uincie=brant fontes: aut quemadmodum Festus ait, quod uirgarū  
fasces ligatos præferebāt, quibus imperante magistratus

delinquentibus plaga*s* ingerebant. De manumis*s* uindi  
Et a.l. manumis*io*. Manumis*io*, inquit, per lictores.

L I G N A, orum, in numero multitudinis proprie di-  
cuntur, que comburendi causa comparata sunt. ut apud  
Martialem: Ad uillā moneo rustice ligna feras. Et apud  
Horatium: In syluam ne ligna feras. In singulari quoq; in  
eadem significatione reperitur. Vlpia. in tit. de leg. iij. l. li-  
gni appellatione. Materia, inquit, est illa, quæ ad ædifi-  
candum fulciendumq; ædificium est necessaria. Lignum  
uero quicquid comburendi causa comparatum est.

L I G V S T I C V M, herba est in montibus Liguriæ  
nascens, à iunioribus medicis leuisticum appellatum. Est  
autem liguria regio Italæ, inter Varum & Macram  
amnes, ad Apennini dextram, in qua est Genua. De ligu-  
stico Plin. Columel. Apitius, proinde omnes medici me-  
minerunt, leuisticum corrupto uocabulo appellant. Paul.  
lib. 33. in tit. de penu legata.l. non omne. Piper, inquit, li-  
gusticum, careum, & laſer.

L I M I N A R C H A, potest interpretari limi*m*is, hoc  
est limitis praefectorus, & est ille qui gerit curam tuendo-  
rum prouinciæ limitū, praeficiturq; militibus limitaneis.  
Arcadius lib. 50. tit. de munerib. l. munerū ciuilem, &c.

L I M I T A N E I, milites dicūtur qui sub liminarcha pro-  
uinciæ terminos tuentur. Capitolinus: Reparato, inquit,  
de limitaneis Daciæ exercitu. Iustinianus quoq; de offi-  
cio Prætoris Aphricæ.l. quas deo. Pro limitaneis, inquit,  
ordinandis, quia necessarium nobis esse uidetur, ut extra  
comitatenses limites limitanei constituantur, qui possint  
& caſtra, & ciuitates, & limites defendere. Et paulò  
post:

post: Si commotio aliqua fuerit, possint limitanei sine co  
mitatensibus militibus &c.

L I N E A margaritarum, est series margaritarum  
pertusarum, quæ sint filo insertæ. Scœuola lib. 35. ad legē  
Falcidiam. l. lineam. Lineam, inquit, margaritarum. Item  
Vlpia. lib. 47. tit. de furtis. l. si quis uxori. Si linea marga  
ritarum surrepta sit.

L Y T O S, interpretatur solutus, à lyo quod est soluo.  
Iustinianus in procœmio digest. Quia solitum erat, quar  
ti anni studiosos, Græco, & consueto quodam uocabulo  
lytas appellari, hoc est solutos. pro quo mendose legitur  
hircos, ex Pandectis Florentinis adnotante Politiano:  
nam pro eo quod in recentioribus libris habetur hircos  
& coloritas, legi oportet lytas & prolytas: quid autem  
sint, lege prolytæ.

L O G I S T A, dicitur is qui reddendis rationibus præ  
est: nam logos inter cæteras significaciones interpreta  
tur computatio: & logistica est ipsa ars computatoria,  
quam uulgas algorismum uocat. Iustinianus in tit. de mo  
do mulctarū. l. curator. Curator, inquit, recipit. qui Græ  
co uocabulo logista nūcupatur, mulctandi ius nō habet.

L O G O G R A P H V S, potest interpretari rationum  
scriptor, quo uocabulo utitur Iustinianus lib. 10. in tit. de  
tabularijs, scribis, & logographis.

L O R I C A T I O, est tectorium parieti in modum lo  
ricæ super inductum, idem serè quod incrustatio. Vitru  
nius lib. 5. Duplicem, inquit, præbeat contignationi lori  
cationem. Plin. lib. 8. Ichneumone cum aspide pugnatu  
ro: Mergit, inquit, se limo sæpius siccataq; sole, mox ubi

*pluribus eodem modo se corijs loricauit, in dimicationem pergit. Paulus de uerborum signific.l. impensa. Incrustationes, inquit, lorationes & picturæ.*

**L V D I C R V S**, *a, um, non ludicer, is, quod Priscianus putauit, dicitur quod ad ludum pertinet. Virg. 12. Aenei. Neque enim leuia aut ludicra petuntur. Horatius secundo epistol. Valeat res ludicra si me Palma negata macrum. De accusationibus. l. qui iudicio. Qui artem, inquit, ludicram fecerit. hoc est scænicam siue theatralem aut circensem, ubi ludi fiunt.*

**L V G D V N E N S I S** *colonia, quæ Lugdunum cognominatur, ciuitas est nobilissima Heduorum in Gallia Lugdunensi ab ipsa cognominata. Meminit illius Iurisconsultus lib. 50. dig. in tit. de censibus.*

**L V D V S** *literarius, pro schola accipitur ubi literæ docētur: magister quoq; ludi, is dicitur qui literas docet. Martia. Quid tibi nobiscū est ludi scelerate magister? & per translationem. Terent. in Ecyra: In eodem mihi omnes uidentur ludo doctæ ad malitiam, & ei ludo si ullus est ludus, magistrum hanc esse satis certo scio. Vlpia. lib. 41. tit. de uarijs & extra. cog. l. j. ludi literarij magistri.*

**L V S C V S**, *is dicitur qui altero oculo caret, qui Græcè monophthalmus appellatur, hoc est unoculus. Hiero. de uiris illustribus: Acacius, inquit, quē quia luscus erat, monophthalmum appellant. Martia. Thaida Quintus amat, quam Thaida? Thaida lusciam. Vnum oculū Thais non habet, ille duos. Modest. in tit. de uerb. sign. l. inter stuprum. Vitium, inquit, est perpetuum impedimentum, ueluti si luscus sit. Inde fit uerbum eluscere, de quo in suo loco*

loco diximus. Neque est, ut Accursius & si qui sunt alij qui id dicant, qui lumine adhibitio nihil uidet, sed ut diximus qui est orbatus altero oculo.

L V S T R A M E N T U M, t.i., est purgatio facta per ue  
nificium aut sacrificium, aut incantationem, dictum ab  
eo quod est lustro, as. Virg. & Aeneid. Lustravitq; uiros,  
dixitq; nouissima uerba. Ouid. 10. Meta. Magico lustra=  
bere ritu. Marcellus lib. 48. ad leg. Corneliam de uenefi=  
cijs & sicarijs. l. eiusdem. Si quis, inquit, lustramenti cau=  
sa dederit cantharidas.

## M

M A G I S T E R, nomen dignitatis est, & magistra  
tus siue magisterium, ipsa magistri dignitas. Un=  
de magister equitū, qui à Dictatore præficiebatur equi  
tibus: & magister populi, qui pecuniæ diuidundæ per po  
pulum præpositorus est: & magister militū, qui militibus  
præest: & magister scrinij, id est, qui libros principis ad=  
seruat: & magister pecoris, qui pastoribus reliquis  
præfectus est.

M A L L E A T V S, dicitur liber qui iam est ligatus,  
punicatusq;. Sed quia libri malleabantur antequam con=  
suerentur, id quod uidemus nostro tempore fieri, malleati  
dicebantur, pro eo quod sequitur. Vlpia. tit. de legatis iij.  
l. librorum. Libri, inquit, nondum malleati & perornati  
continebuntur.

M A L O B A T H R U M, arbor est odorata ex Syria,  
quæ nomine speciali folium appellatur, unde fiunt unguē  
ta quæ dicuntur feliata. Horat. in 2. Carm. Nitentes ma=  
lobathro Syrio capillos. De folio malobathri meminerūt

sæpe Galenus & Apicius. Martianus lib. 39. tit. de publicanis. l. interdum. Malobathrum, aroma Indicum. non malabastrum.

**M A N D R A G O R A**, herba est nota, cuius duo sunt genera: alterum nigrum, quæ fœmina existimatur, alterum candidum, qui est masculus. Habet uim soporiferam, atq; prouocandi somni gratia dari consueuit. quia frigida est, ac propè uenenū. Columella in horto: Quāuis semihominis uesano gramine foeta Mandragora pariat flores, mœstamq; cicutā. Marcellus lib. 48. dig. ad le. Cornel. de ueneficijs. l. eiusdē mandragoram inter uenena ponit. Ex quo fit, ut mirandum sit quid per mandragoram interpres sacrarum literarum intellexit in Genesi, capite 30. Et Cant. 7.

**M A N G O**, onis, est non modo seruorum uendor, sed aliarum etiam rerum, que ut carius uendantur, solent à uendoribus adornari. Vnde est mangonizare agros & equos, pro eo quod est colere. Et Plinius lib. 37. politores gemmarum, mangones appellat. Martia. Millia pro puer centum me mango poposcit. Seneca in Epist. Mangones, quicquid est quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt. Aphricanus de uerb. sig. l. mercis appellatione, quo distet à uenaliciario monstrat.

**M A P P A**, mensæ stragulum est, quemadmodum & mantile, siue toral. Erantq; duo genera, alterum rasum, alterum uillosum, hoc est in tapetis similitudinem contextum, quod & gausape dicitur. Martial. in disticho cuius index est, Mappa uillosa: Nobilius uillosa tegant tibi linteas citrum. De mantili quoque uilloso Virgilius in primo

in primo Aeneid. dixit: Tonsisq; ferunt mantilia uillis. quod Seruius pro minutis exponit. Ouidius quoque in quarto Fast. Duxerat ad dextram uillis mantile solutis. Florentinus libro 33. de supellectili legata, lege supellectili. Toralia, inquit, & mappa uillofa. Pro quo mendose legitur. & oralia in panaliosa, nibili uerba.

MATERIA, proprie dicitur circa quam uersatur faber tignarius siue lignarius. In communiori tamen significatu dicitur de subiecta cuiusq; artis materia. Paul. lib. 18. titu. de periculo & commo. l. quod si. Neq; materia empta si furto perisset.

MEDIASTINVS, quemadmodum Priscianus in quinto carmine scribit, à medio uidetur componi, quia medias partes balnei tenet. hoc est, qui in medio lauanum stat. Horatius in primo epistol. Tu mediastinus tacita precer rura petebas. Acron in media urbe uiuens interpretatur. Porphyryion in media urbe siue balneo exponit. Vlpianus libro 47. titulo de iniurijs. l. item apud. Multum interest qualis seruus sit, bonæ frugi, an mediastinus.

MEREO, meres, merui, est militare, siue stipendium in militia facere. Lucanus in sexto: Castrorum in plebe merebat. Iuuenalis: Castrorumq; æra merentem. Suetonius in Iulio: Meruit & sub Seruilio Isaurico. libro 49. digestorum titulo de re militari, pro eo quod in libris antiquis legitur merere, in recentioribus scriptum est, militare.

METALLA, dicuntur uenæ unde eruitur argentum, æs, & cætera quæ uulgas indoctum appellat me-

talla. dicta sunt autem metalla à metello, quod est scrutator siue inquiero: aut dicuntur metalla, quod alia uena post aliam inueniatur. quod uidetur Plinius libro 34. significare, ubi scribit quod ubicunque una uena est inuenita, non procul alia inueniatur. Hinc metallarij & metallici dicuntur, qui sunt damnati ad metalla, hoc est effodiendam terram ex metallis. Aliquando simpliciter accipiuntur pro effossoribus metallorum, ut in libro digestorum, titulo de pœnis. & libro undecimo Codicis, titulo de metallarijs.

M E T A T O R , siue metatus, siue mensor, dicitur qui iussu atque autoritate principis milites in domibus incolarum collocat, siue in castris qua parte debeat quisque tentoria figere, ostendit. Vnde dictum est castrametari. Lucanus in primo: Hesperios ueniam metator in agros. In Codice Iustiniano titulo de metatis. l. j. Si quis, inquit, mensorum nostrorum manu qua deputatur singulis quibusque domus & postibus hospitaturi nomen adscribunt, delere non dubitauerint, ad instar falsi criminis constituti teneantur.

M E T A X A , est congeries illa pensorum ex lino aut lana, quam Hispani paucis literis immutatis uocant madixa, ut in lib. ii. Codicis Iustiniani, titu. de murilegulis, lege, lotas. In posterū serica & metaxæ. Vitruvius lib. 6. De paludibus, inquit, tenues colligantur metaxæ.

M E T R O C O M I A , interpretatur uilla matrix, dis. Età à meter, quod est mater, non quod Accursius halluci natur, à metros quod est mensura, & come uilla, accipiendo uillam, ut nunc uulgas loquitur. Iustinia. lib. ii. Codicis

Codicis, in titu. non licere habitatoribus metrocomiae loca sua ad extraneam conferre.

M E T R O P O L I S , interpretatur ciuitas matrix: neq; dicitur à metros quod est mēsura, ut imperiti existimant, sed quod de metromia diximus, à meter quod est mater. unde alia cōplura deriuātur, quæ in suo genere significant præcipuum & excellēs, ut ortygometra, tetrigometra, echinometra, accentu in penultima, produce cothurnicum, cicadarum, & echinorum. Modest. lib. 17. dig. de excusationibus. l. si duas. Decet autem maximo numero uti metropoles gentium.

M I L I A R I V M , uas erat ad coquendū milium accommodatū, quemadmodū pultariū ad coquendum pultem. Cato de re rust. Inter orbem & miliariū unum digitum interesse oportet. Palladius libro quinto de re rustica: Vas, inquit, æneum miliario simile. Pomp. libro 33. titu. de auro & argento lega. l. & si. Certe si cacabos argenteos habeat, uel militarium. pro quo, t, litera expuncta, lege tu miliarium.

M I N I C V L A T O R , is dicitur qui literas maiusculas, hoc est, initiales siue capitales ex minio libris ex atramento iam scriptis adhibet. Vlpianus lib. 38. tit. de operis libert. l. iuris iurandi. Si fortè, inquit, librarius uel miniculator. sic enim in libris antiquioribus legitur, & magis cohæret ei quod suprà dixerat librarius, & ei quod sequitur, uel calculator.

M O L I O R moliris, est moles ad ædificium aliquod coaptare. Virgilius primo Aeneid . Moliriq; arcem & manibus subuoluere saxa. Vlpia. lib. 39. l. j. de noui operis

nūcia. Qui fortè in publico uel in priuato quid molitur. Inde molitio onis, pro ipso apparatu ædificandi: ut infra eodem titu.l. stipulatio. Molitio, inquit, non impeditur. Demoliri uero & demolitio opponitur ei quod est moliri, & molitio, pro eo quod est diruere & dirutio, ut in eodem titulo, sape.

M O L A manuaria, siue manualis, siue trusatilis, dicitur quæ ad frumenti molituram manu circumagitur, que, ut ait Virgilius in Moreto, Rotat assiduis gyris, & concitat orbem. Mola quoq; iumentaria, & ex euangelio, mola asinaria est, quam iumenta uersant. labolenus Priscus libro 33. digestorum, de fundo instructo.l.dolia. Molas, inquit, manuarias supelletilis, iumentarias autem instrumenti esse Offilius ait. Molas uero aquarias, hoc est, aqua uersatiles, ante Iustiniani tempora fuisse nondū legi. Is enim in titulo de aqueductu. l. decernimus. mole aquariæ meminit, quam sermonis Latini ignari molendinum appellant. Nam quod legitur asina molendaria in titulo de fundo instructo.l.cum de lanionis, non à molendino, sed à molendo deductum est.

MENIANA, ut ait Festus Pomp. ædificia erant à Menio ciue Romano sic appellata, non à mœnibus sic dictum, ut putauit somniculosus Accursius. Is enim primus ultra columnas extendit tigna, quo ampliarentur superiora. Hic est ille Menius qui post bona patris absympta, locum sibi seruauit, unde ludos spectaret, de quo Horatius in primo epist. Menius ut rebus maternis atq; paternis Fortiter absymptis, urbanus cœpit haberi &c. Locus autem ille fuit Menianum, quod ultra ædificia protende

protendebatur, in viam publicam propendens. Vitruvius libro quinto: Meniana, inquit, superioribus coassationibus collocentur. Suetonius in Caligula: Cum apparatu circi perspicientem, pauci ex proximis Menianis postulassent. Valerius de mortibus non vulgaribus: C. Licinius Macer vir prætorius Calui pater, dum sententiae dicerentur, in Menianum consendit. Iabolenus de uerborum significatione. l. malum nauis. Qualia, inquit, meniana & subgrundaria essent. Vlpianus in titulo, ne quid in loco publico. l. prætor ait. Cum quidam, inquit, uelum in meniano immissum haberet.

M E R I T O R I V M , siue meritoria taberna, est stabulum siue caupona in quam uiatores diuertunt: dictum meritorium, à mercede quam soluunt . Iuuenalis: Nam quæ meritoria somnos Admittunt . Valerius de duobus Arcadibus: Quorum alter, inquit, ad hospitem se contulit, alter in tabernam meritoriam diuertit. Vlpianus in titulo de iniurijs. l. lex Cornelia. Ad meritoria, inquit, uel stabula non pertinebit. Accursius nescio quas nugas somniat, neque id mirum, cum uigilans quid esset meritorium nescierit.

M O D U S , & Modulus, plerunq; pro mensura accipitur, ut Horatius in secundo Sermonum: Hoc erat in notis modus agri non ita magnus. Frontinus de aqueduct. Aquarum, inquit, moduli aut ad digitorum, aut ad unciarum mensuram instituendi sunt. In lib. dig. ii. titu. est, si mensor falsum modum dixerit . & ibidem saepe. Paulus lib. 39. titu. de damno infect. l. damni. Eum, inquit, qui modulorum aut riui faciendi causa.

M V L S V M , potio est quæ ex uino & melle concin-  
natur. Horatius primo Sermonum: Leui præcordia mul-  
so Prolueris melius. Martialis in disticho cuius lemma  
est, Mulfsum: Attica nectareum turbatis mella falernum.  
Vlpianus libro 33. titulo de tritico & uino legato. l. si  
quis. Si mulsum, inquit, sit factum, uini appellatione non  
continebitur. Vlpia. lib. sexto, tit. de rei uendic. l. idem. Si  
ex melle meo & uino tuo mulsum factum sit.

M V N D V S muliebris , ut inquit Varro, dictus est à  
mundicia. Idem & ornatus, quasi ab ore natus, à Græcis  
cosmos dicitur. Vnde multi fuerunt autores quos Gale-  
nus citat, qui cosmetica , id est, de ornatu scripsierunt.  
Vlpianus titulo de auro & argento legato. l. argumen-  
to. Mundus, inquit, muliebris est, quo mulier mundior  
fit. & subdit quæ numerātur in mundo muliebri, de quo  
etiam est titulus.

M V N I M E N T U M differt à monumento siue moni-  
mento, quòd monumentum est sepulchrum quod erigi-  
tur in defuncti memoriam, siue illud sit inane, siue cada-  
uer complectatur . Munimentum uero est in ædificio  
illud quod ab inferendo damno defendit, dictum à mu-  
niendo. Marcellus libro undecimo, titulo de religiosis &  
sumptibus funerum. l. funeris sumptus. Munimentum se-  
pulchri id esse diuus Hadrianus scripsit, quod muniendi  
eius loci causa factum sit.

M V R I L E G V L I , dicuntur qui murices , hoc est,  
conchylia colligunt, ex quibus purpuraceus color indu-  
citur. nam purpurarum genera complura sunt, buccinū,  
ianthinum, murex. de quibus in titulo de lega. tertio. l. Si  
cui

cui lana. Igitur murileguli sunt purpurarum conquisitores, de quibus Iustinianus libro undecimo Codicis, tit. de monetarijs & murilegulis.

M V R I A falsamentum siue falsugo ex pisci bus salitis, qua antiquiores utebantur ad ciborum condituras. Aliquando muria ex sale tantum & aqua macerata constabat. quæ muria dura cognominabatur: quomo do autem fiat, Pli. & Columella ostendunt. Vlpia. in tit. de penu lega. l. qui penum. Laceratos, inquit, cum muria sua contineri, Labeo ait.

M V R R H A, & uasa murrhina dicebantur quæ ex murrha lapide precioso tornabantur. Lucanus: Non auro murrhaq; bibunt. Martialis: Si calidum potas ardenti murrha falerno Conuenit. De murrha lapide Plinius lib. 37. plura. Sed huius lapidis uas unum tantum nostro seculo monstratur Venetijs in ærario diui Marci: Agathā ipsi uocant. De uasis murrhinis Martialis: Surentina bis, nec murrhina sume, nec aurum. Et Iuuenal: Gran dia tolluntur crystalla, maxima rursus Murrhina. Flo rentinus in titulo de supellecili lega. l. supellecili. De murrhinis, inquit, & crystallinis dubitari potest. atque ibidem: Murrhina & crystallina ex eadem materia esse. Item Pompo. tit. de auro & arg. leg. l. & si non. Murrhina, inquit, uasa in gemmis non esse, Caßius scribit.

## N

**N**ATALES, in numero multitudinis sunt ipsa na scendi conditio, siue illa sit obscura, siue clara. Plinius lib. 18. Ruffus infima natalium nobilitate. Cornelius

**Tacitus:** *Fuscus* ingens ætate, claris natalibus. **Iuuenalis:** *Palmam* inter dominas uirtus natalibus aequat. Apud Iurisconsultos lib. 44. dig. tit. est de nata. restitu. quasi natales de natalibus claris tantum dicantur.

**NEGOCIVM** facere, siue negocium exhibere, quod apud Iurisconsultos frequenter legitur, significat molestiam alicui facere. Et sic est illud: In eum qui calumniae causa negocium faceret. Et illud: Qui pecuniam accepit ut facheret negocium uel non facheret. pro eo quod est molestiam.

**NOMEN** pro debitore, maxime in re fœneratoria apud Iurisconsultos sèpiissime inuenitur. Seneca de uita beata: Nunquam magis nomina facio quam cum dono. Alphius fœnerator apud Columellam: Optima, inquit, nomina non adpellando fieri mala. Horatius: Cautus nominibus certos expendere nummos. **Iuuenalis:** Qui uenit ad dubium grandi cum codice nomen. Hinc apud Iurisconsultos pecuniae in nominibus dicuntur que datæ sunt fœnori. In hac quoque significatione accipitur nomen ab Ulpiano libro 47. dig. in titu. de furtis. l. si quis uxori. Si quis, inquit, seruo meo persuaserit, ut nomen suum ex instrumento tolleret.

**NON**, particula negatiua turbat sensum adiecta, in titulo de officio proconsulis: Legatus, inquit, mandata sibi iurisdictione iudicis dandi ius non habet. Cæterum in Pandectis non particula non habetur. Notauit primus huc errorē Angelus Politianus in quadam obseruatione eius centuriæ, quam tunicam nobis uidere contingit.

**NOSOCOMION**, interpretatur infirmorum siue agrotan

egrotantium uilla: nam nosos interpretatur morbus, & come uilla. Hieron. ad Oceanum de epitaphio Fabiolæ: primo omnium nosocomion, id est, languentū uillam instituit. Iustinianus in codice tit. de sacrosanct. eccl. Nosocomia, inquit, uel brephotrophia. Item coll. j. de non alienando nosocomion uel brephotrophium. Nosocomos uero appellatur qui præsidet nosocomio, ut coll. 2. de non alienandis &c.

NOTARIVS, non est qui uulgò putatur, hoc est tabellio, sed qui excipiens uerba dictantis per notas & cōpendia scribit. Talis describitur à Martiale in disticho cuius index est, Notarius: Currant uerba licet, manus est uelocior illis, Nōdum lingua suum, dextra peregit opus. Paulus lib. 29. dig. tit. de militari testa. l. Lucius Titius miles notario suo testamentum scribendum notis dictauit, & antequam literis perscriberetur, uita defunctus est. Ergo per notas intelligendum est, per literarum cōpendia, hoc est breuiaturas.

## O

**O**BSIDIANVS lapis ab Obsidio quodā inuentus dicitur. de quo Plin. lib. 36. In genere uitri & obsidianā numerantur ad similitudinē lapidis, quē in Aethiopia inuenit Obsidius, nigerrimi coloris, aliquādo & trāslucidi, crassiore uisu atq; in ſpeculis, reddente pro imagine umbras. Idem lib. 37. Inueniuntur & gemmæ eodē nomine ac colore, non ſolum in Aethiopia & India, ſed etiā in Samo & in litoribus Hispaniensis oceani. Meminit eiusdem Sueton. in Augusto. Pomponius lib. 34. dig. tit. de auro & argento leg. l. et ſi. Gemmæ, inquit, ſunt perlu

cide materiae, uelut smaragdi: Lapilli contrariae superioribus naturae, ut obsidiani. non abasiani, ut in codicibus recentioribus legitur.

**O B S O N A T O R E S**, dicuntur qui obsonia emūt, hoc est cibos recentes ex macello, furo boario, furo olitorio, aut eiusmodi locis. Seneca lib. 6. epist. Adijce obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est. Martia. in disticho, cuius lēma est, Obsonator: Dic quotus es, quāti cupias cœnare, nec unum Addideris uerbum, cœna parata tibi est. Marcel. tit. de leg. iij. l. legatis seruis. Cubicularios, inquit, et obsonatores. Accursius, ut est in excogitandis ineptijs diligētissimus, obsonatores dupliciter expōnit, aut qui domino præstant silentium dum dormit, quasi à somno dictos, aut qui canunt dum cœnat dominus, quasi à sono uocis.

**O D Y S S E A**, opus est Homeri poëtæ, in quo Vlyssis errores prosequitur, quoniam Vlysses à Græcis dicitur Odysseus. citatur à Marcello in tit. de leg. iij. l. legatis. Sic deniq; in Odyssea Homerus ait, et subdit carmē græcū.

**O E N O M E L I** Græcis dicitur, quod sit Latinis mulsum, ab œnos quod est uinum, et meli mel: quoniam ex uino et melle constat, quemadmodum in uerbo mulsum diximus. Apud Galenū cæterosq; medicos crebra fit mētio œnomeli. Vlpia. in tit. de tritico et uino leg. l. si quis uinum. Oenomeli planè, id est, uinum dulcissimum continebitur. pro quo mendose legitur cœnomeli.

**O L I T O R**, est qui uulgò appellatur hortulanus, dictus ab oleribus, hoc est, herbis hortensibus. Inde olitanus, a. um, ad hortū siue horti curatore pertinens. Plin. lib.

lib.19. Vrceola olitoria ex his factitari prodiderunt. Vlpia. de uerb. signific.l. Vrbana. Horti uinearij fortè uel olitorij. nec dicitur ab oliuis, sed ab oleribus.

O P E R A, & est labor diurnus, quem admodū à Paulo & Vlpia. diffinitur lib.38.dig.tit.de operis liber. differt autem ab opere, quoniam in uno opere plures opera & cōsumi possunt, & una opera plura opera fieri possunt.

O P I S T O G R A P H A, dicuntur quæ in tergo chartæ scripta sunt. ab opisthen, quod interpretatur retro, & grapho scribo. Eiusmodi est scriptura de qua dixit Iuuenalis: Scriptus & in tergo nec dum finitus Orestes. Et Martialis: Scribit in auersa Picens epigrāmata charta. Plin.in epist. Reliquit, ait, commentarios opistographos & minutissimis literis scriptos. Consultus in tit.de bono. posse. l. chartæ appellatione. Proinde, ait, si in opistographo quis testatus sit, hinc peti bonorum possessionē. ubi Accursius dupliciter peccat, tum in opistographo, id est, ubi opes scribuntur, exponens: tum in epistographo, id est, in epistola.

O R I C H A L C V M, interpretatur æs montanū, nam oros est mons, & chalcos æs: nā quod uulgò aurichalcū dicitur, nulla ratione defendi potest. Tū ex illo principio omnium consensu recepto, non solere fieri compositionē ex Greco & Latino, tum autoritate & ratione. Ratio autē illa nimirū est, quod in carmine semper prima brevis reperitur. Virg.12.Aenei. Alboq; orichalco Circūdat loricam. Et Horat.in Poëtria: Tibia nō ut nunc orichalco iuncta tubæq; Aemula. Aurichalcum uero non posse dici Sextus Festus Pompe.est autor. Aurichalcū, inquit,

quidam putauerunt compositum ab ære & auro. Sanè uero orichalcum dicitur, quod in montosis locis inueniatur: mons etenim Græcè oros appellatur. Vlp.tit. de leg. iij.l.si quis electrum, inquit, uel aurichalcum contineri. In tit. quoq; de act. empt. & uendi. Quemadmodum, inquit, si quis uas aurichalcum. sed orichalcum legas.

**O R C I N I V S**, ab orco dicitur. Est autem Orcus inferorum atq; mortis deus. Virgil. 2. Aeneid. Multos Da=naum dimittimus orco. Idem in σ. Vestibulū ante ipsum primisq; in faucibus orci. Hinc orcinus libertus, qui sit ipsius testatoris defuncti & in orci familiam adscripti. De pheretro in quo mortui efferuntur dixit Martialis: Orciniana qui feruntur in sponda. Vlpia.lib. 10. tit. de fideicommiss. lib. l. ergo. Qui directam, inquit, libertatem acceperunt, orcinij erunt liberti. Orcinij quoque liberti meminit Iustinianus lib. 2. Institutionum.

**O R P H A N O T R O P H I V M**, penultima longa, lo= cus est ubi orphani aluntur, quemadmodum brephotrophiū ubi infantes, ut suo loco diximus. In codice Iustini= niani titulus est de orphanotrophijs. quorum etiam me= minit frequenter tit. de sacrosanct. eccles. Orphanotro= phus, is dicitur qui orphanotrophij curam gerit.

## P

**P A E G M A**, atis, ludus interpretatur, à pezo, quod est ludo. Erat autem pægma machina in sublime tendens, in qua puerorum cantantium erant nidi. Seneca lib. 13. epistolarum his uerbis pægma describit: His, inquit, annumeres machinatores, qui pægmata per se surgentia excogitant, & tabulata tacite in sublime crescētia, &

tia, & alias ex inopinato uarietates, aut de hiscentibus que cohærebant sua sponte coēuntibus, aut ijs que eminebant paulatim in se residentibus. Iosephus quoque in triumpho Vespasianorum nonnihil de pægmatis scribit. Iuuenalis: Et pægma & pueros inde ad uelaria raptos. Martialis: Et crescunt media pægmata celsa uia. Claudianus: Mobile ponderibus descendat pægma reductis. Vlpianus tit. de fundo instructo l. quæsitum. In emptio= nem, inquit, domus specularia & pægmata cedere.

PAGANVS, à pago dicitur, quemadmodum à uico uicinus: habet tamen aliquando remotiorem significatū, atq; pro eo accipitur, qui nō est militiæ sacramento addictus, ut nemo sit qui non aut paganus aut miles dicatur. Iuuenal. Citius falso sum producere testem Cōtra paganum possis, quam uera loquentē, Contra fortunā armati. id est, contra militem. Modestinus in tit. locati & cond. l. si ignorās, inquit, militi quasi pagano locauerit. Itē multis alijs in locis digestorū, sed nunquā in alia significatio ne. Siquādo tamen à iunioribus paganus pro infideli accipitur, id per translationē fit, quasi non sit initiatus ad sacra religionis CHRISTI, atq; illius militiæ adiuratus.

PANCRA TIV M, ut scribit Vitruvius locus erat in quo athletæ exercebantur. Plin. lib. 34. Puerum autolium pancratio uictorem. Propert. lib. 3. Et patitur duro vulnera pācratio. Vlp. lib. 9. tit. ad leg. Aquil. l. qua actio ne. Si quis in colluctatione, inquit, uel in pancratio. Vnde pancratiastes pro athleta qui se in pancratio exercet.

PANDECTA, potest interpretari comprehensoriū, hoc est, omnia continens, à pan, quod est omne, & de-

*chomē comprehendo.* Gellius lib. 19. Sunt, inquit, qui Pā dectas, id est, omnium receptacula inscripserunt. Idem lib. 12. *Quis Græco uocabulo pādectas, id est, promiscua & omnimoda continentis libros.* Hinc Iustin. lib. 50. dige storum, Pandectas Græco titulo prætitulauit, non quemadmodum quidam existimant, pandectas fuisse libros iurisconsultorum, ex quibus conflatum est ius ciuile, quod Justinianus Imperator in 50. libros rededit.

**PANNICULARIA** bona, quemadmodum Vlpia. in tit. de bonis damnatorum definit, sunt ea quæ in custodiā receptus, secum attulit, non omnia quidem, sed uestem qua is fuerit indutus, & nummos inueterales, & annulos parui precij.

**PANTOMIMVS**, dicitur is qui mimos representat, atq; in ea arte tantum pollet, ut omnia possit imitari, à pan, quod est omne, et mimeomæ, quod est imitor. Seneca in 4. epist. Si clamor & plausus & pantomimica instrumenta perstrepuerint. Iulius Firmicus lib. 3. matheseon. Si luna, inquit, à Mercurio defluens ad Venerem perueniret, organorios aut pantomimos facit. Iabolen. lib. 38. dig. tit. de operis libert. l. si libertus. Si libertus, inquit, artē pātomimi exerceat. & suprà eodem tit. l. patronus. Si quis, inquit, pantomimum uel archimimū libertum habeat.

**PAPYRVS**, frutex est in palustribus Aegypti locis, aut quo Nilus non fluit, brachiali crassitudine, decem cubitorum altitudine : ex cortice uero stragulas Aegyptij faciunt atq; ex eodem chartas. & est alioqui materia combustibilis. Vlpia. in tit. de leg. iij. l. ligni appellatione. Harundines, inquit, & papyros comburunt.

PARA

PARANYMPHI & paranymphe dicuntur Græcè, qui Latinis sunt pronubi & pronubæ, hoc est, nuptijs præsidentes. August. 14. de Ciuitate: Non' ne omnes famulos atq; etiā ipsos paranymphos antè mittit foras, quād blandiri coniux coniugi incipiat? Hieronymus in Serm. assump. Mariam, inquit, angelus Gabriel ac si cœlestis paranymphus intactam custodiuit. dictus est autem paranymphus à para quod est iuxta, & nymphæ, sponsa: quasi assidens sponsæ. Commentator Decretorum paranymphas somniat esse ancillas: dictas sic, ut ille putat, à parando lymphas.

PARAPHERNA, bona sunt quæcunq; præter do-  
tem dantur sponsæ. Vnde paraphernica instrumenta di-  
xit Sidonius Apollinaris puellæ tradita. & dicuntur pa-  
rapherna à para quod est præter, & pherne dos: non ut  
uulgas loquitur, paraphrena. Vlpia. lib. 23. dig. tit. de iure  
dotium. l. si ego. Si res dentur, ea que Græci, parapherna  
uocant, queq; Galli peculum appellant.

PAREPHIPPVS, est qui equo insidet, siue equo  
rum sessor, à para Græca præpositione, & ephippiū. Iu-  
stinia. lib. 12. cod. tit. de cursu publ. l. parephippiū. Pare-  
phippium, inquit, eū uideri, qui usurpato uno uel duobus  
ueredis, quos solos euectio continebat. Est autē ephippiū  
stragulum quod equo imponitur. Horat. Optat ephip-  
pia bos piger, optat arare caballus. Martial. in disticho  
cuius lemma est, ephippium: Stragula succincti uenator  
sume ueredi, Nam solet à nudo surgere ficus equo.

PAROCHVS, interpretatur dator siue præbi-  
tor, hoc est, tributarius. Vnde scribit Aulus Gellius:

*Ventidium uelut parochum uictum sibi a grè quæfisse.  
et erat parochorū magistratibus præbenda conducere.  
Horatius 1. Ser. Parochi qui præbent ligna salemq;. Idem  
in 2. Vertere pallor Tum parochi faciem. Inde est paro-  
chia, parochorum cōmunio. August. 14. de ciuitate: Fuit  
quidā nomine Restitutus in parochia Calameñ. eccl. non  
ut illiterati dicunt, parrochia per duplex r.*

*P A R O E C O S, est incola siue habitator in loco, et  
parœcia incolatus siue habitatio, à para quod est iuxta,  
et œceo habito. Pompon. de uerb. sig. l. pupillus. Incola,  
inquit, est qui in aliquam regionem domicilium suum  
contulit, quem Græci parœcon uocant.*

*P A R O P S I S, dis, genus est lancis grādioris, de qua  
in Euang. Qui intingit mecum manū in paropside. pro  
qua aliis Euangelista catinū posuit. Sene. in 5. de benefi-  
cijs: Sic paropsidem argenteā et auream dicimus. Iuue.  
quam multa magnaq; paropside cœnat. Martia. Cui por-  
tat gaudens ancilla paropside rubra Halecem. Pompo-  
nius de auro et argento legato. l. et si ueluti paropsi-  
das, tabulas, trullas.*

*P A S S V M, est uinum illud quod ex uuis passis con-  
ficitur. Hispani bastardo appellat. Seruius in illud Virg.  
secundo Georg. Et passo p̄sythia utilior. Passum, inquit,  
ideo dicitur, quod ab igne patitur decoquendo: sed illud  
quod decoquitur, nō passum, sed defrutum aut sapia dici-  
tur. Iuuen. Passum et municipes Iouis aduexisse lagenas.  
Vlpian. de trit. et uino leg. l. si quis. Passum, inquit, nisi  
contraria mens sit intelligitur. Proculus in eo titul. l. qui  
uinum. Cui dulcia legata essent, omnia hæc esse legata,  
mulsum,*

*mulsus, passum, defrutum, & similes potiones.*

PASTINARE, est agrum fodere, dictum uerbum à pastino, quod est ferramenti genus bifurci, quo planæ panguntur. autor Columella libro quarto de re rustica. Sed consuetudo quicquid emoti soli uineis præparatur, repastinatum uocat. Matthæi duodecimo: Vineam pastinavit homo, & sepem circundedit. Vlpianus libro 43. quod ui aut clam. l. semper. Is cui fundum pastinādum locaueras. Paulus de uerb. sign. l. impensa. sicuti arbusti pastinatione ultra quam necesse fuerat.

PATER, præter notam significationem quam habet in promptu, significat etiam senatorem: nam senatores patres conscripti appellatur, illi propter ætatem, hi propter curā. hoc adnotauit ne quis decipiatur Accur si uerbis, in illud Iustiniani lib. 10. Institutionum, tit. quibus modis ius pat. potest. sol. Quem sibi princeps patrē elegit: id est, Senatorem.

PECVLATVS, furtum est rerum publicarum, cœptum dici à pecore eo tempore quo Romani nihil præterquam pecudes possidebant. Sallustius in Iugurtha: Peculatus aerarij factus est. hinc apud iuris consultos in lib. dig. tit. est ad legem Iuliam peculatus.

PECULIVM, uerbum quoque frequens in iure ciuili, ut ait Seruius in illud Virg. Nec spes libertatis erat, nec cura peculi. Est simpliciter patrimonium: ita enim maiores nostri dicebant à pecoribus in quibus eorum constabat uniuersa substantia, sed postea illud tantum appellari cœptum est peculium, quod seruus in potestate domini, & filius familiâs in potestate patris con-

*stitutus possidet.*

PECVNIA præterea dicta est à pecude, quoniam, ut inquit Varro, à pastoribus horum uocabulorum fuit origo. Plinius libro 33. pecuniam accepisse nomen scribit à nota pecudis nummo impressa: sed iam pecuniae appellatione omne illud continetur, quod pecunia mensurari potest. Paulus de uerborum significatione. l. pecuniae. Pecuniae, inquit, appellatione rem significari Proculus ait, hoc est, patrimonium. insrā eodem titulo Vlpianus: Pecuniae, inquit, non solum numeratam pecuniam complectitur, uerum omnem omnino potentiam, hoc est omnia corporea.

PECVS, pecudis, est omne animal quod caret ratione atque effigie humana, nam & de piscibus Horatius in primo Carminum dixit: Omne cum Proteus pecus egit altos Visere montes. Caius tamen libro nono digestorum, titulo ad legem Aquiliam. l. lege Aquilia. Seruis, inquit, nostris exequantur quadrupedes que pecudum numero sunt, & gregatim habentur, ueluti oves, capræ, boues, equi, muli, asini: sues etiam, sed canis inter pecudes non est.

PEDAMENTVM, dicitur uitis fulcimentum. Varro in primo de re rustica: Quibus stat recte uinea, dicuntur pedamēta: quæ transuersa iunguntur, iuga. Vlpianus libro 47. de tigno iniuncto: Vineis, inquit, necessaria, perticæ, pedamenta.

PEDVLES, calceatui aptæ fasciæ erant, quibus antiquiores utebantur. Plinius libro octavo, Mures ait, abrosisse Carboni imperatori fascias quibus in calceatu uteba

utebatur. Tales fascias Vlpianus crurules & pedules uocat, in tit. de auro & argento legato. l. argumēto. Fasciae, inquit, crurules pedulesq; & pilea uestis loco sunt, quia partē corporis uestiūt. ubi crinales pro crurules legitur.

P E R I V R A R E , quoties in libris digestorum legitur est uitium scriptoris, quoniam in Pandectis Florentini semper pro eo legitur peierare.

P E L L E X , concubina est illius qui habet uxorem: eoq; distat à pallaca, quae est concubina cœlibis. dicta est autem pellex à pelliciendo, quod uidelicet attrahat alliatq; alterius virum. Cui mulierum generi pœna est à Numa Pompilio constituta hac lege: Pellex aram Junonis nec tangito: si tanget, Iunoni crinibus demissis agnum fœminam cœdito. Paulus de uerborum significatione. l. masurius. Caius, inquit, Flaccus scribit pellicem uocari, quæ cum eo cui uxor sit, corpus misceat, aut quæ uxoris loco sine nuptijs in domo sit.

P E N A R I A cella, & penarium, ut inquit Varro, locus est ubi penus reponitur atque adseruatur. Cicero quinto in Verrem actione: Cato sapiens Siciliam cellam penariam reipublicæ dicebat. Vlpianus titulo de penu legata. l. qui penum. Quæ horrei penarij uel cellæ penarie instituendæ gratia habentur.

P E N U s penoris, siue penus, us, est, ut ait Cicero in undecimo de natura deorum, omne illud quo uescuntur homines. Atque ut Phauorinus apud Gellium ostendit, penus est quod longæ uisionis gratia contrahitur atque recōditur: ex eo dictum quòd non in promptu sit, sed intus reconditur, & habeatur penus. Apud Iurisconsul. tit.

*est de penu legata, hoc est, ijs de rebus quæ adseruantur in penario ad longum tēpus: nam quæ ad breue, in promptuaria sunt cella, inde appellata, quòd in promptu sit, quemadmodum penus in recessu interiori.*

**P E N E S** præpositio, ut inquit Festus, differt ab eo quod est apud, quod apud personam tantum cum loco significat: ut si dicas, pecunia est apud me, possis id recte dicere etiam si tua non sit. Penes uero non tantum personam & locum designat, sed etiam dominium: ut si dicas, pecunia est penes me, significat quod est tui iuris ac potestatis. Vlpia. in tit. de uerb. signi. l. penes te. Penes te, inquit, amplius est, quam apud te est: nam apud te est, quod qualitercunq; à te teneatur, penes te est quod quodammodo à te possidetur.

**P E N I C U L V S**, pictoris est instrumentum quo inducit in picturā colores: dicitur & penicillus, utrumq; per diminutionem ab eo quod est penis, hoc est, cauda inclinatum: nam in modum parue caudæ prominent setæ ex quibus fit peniculus. Plinius libro 35. Arrepto peniculo lineam ex colore duxit. Martianus in titulo de fundo instructo. l. pictoris. Peniculi, inquit, & cauteria & conchæ.

**P E R D V E L L E S**, ab antiquioribus dicebantur, qui postea dicti sunt hostes: nam hostes dicebantur quos nunc uocamus peregrinos. Cicero in primo officiorum: Evidem illud animaduerto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis uocaretur, lenitate uerbi tristitiam mitigante. Caius in titulo de uerborum signific. l. Quos nos, inquit, hostes appellamus, ueteres perduelles appella

appellabant. hinc perduellio, onis, pro ipsa in rem publ. aut in principe hostilitate eorum qui hostes patriæ iudicati sunt. Suetonius in Iulio: Subornauit qui Caio Rabirio perduellionis diem diceret. Perduellionis crimine primus omnium damnatus est Horatius, ob sororem interfectam, sed absolutus. Vlpianus in titu. ad legem Iuliā. l. is qui. Qui perduellionis, inquit, reus est, hostili animo aduersus rem publ. uel principem animatus est.

P E R G U L A, est mensa in qua opifices opera sua uendenda exponunt. Hinc Plinius scribit Apellem tabulas quas pingebat transconti populo iudicandas in pergula confucuisse proponere. Vlpianus libro nono digestorum, titulo de ijs qui deiecerunt. l. si uero. Cum pictor, inquit, in pergula clypeum uel tabulam expositam habuisset, eaq; excidisset.

P H A R M A C U M interpretatur uenenu, quod tam Græcè quam Latinè medium indifferens est ad bonū et ad malum. Caius de uerb. sign. l. qui uenenum dicit.

P H I L Y R A siue philura, arbor est quæ à Latinis tilia dicitur. appellantur quoq; philuræ tuniculæ quædam intra philuræ arboris corticem: atque inde librariorum quoque chartæ ad scribendum philuræ dicuntur, siue illæ sint ex tilia siue ex quacunq; alia materia. Martianus de philologiæ nuptijs libro secundo: Rari uero libri in philyrae cortice subnotati. Herodianus quoque libro primo mentionem libelli facit è tenuissima philura. Plinius libro 13. Præparantur, inquit, ex papyro, chartæ diuisæ acu in prætenues, sed quam latissimas philuras. Vlpianus titulo de legatis tertio. l. librorum appellatione.

*Siue in philura, inquit, aut in uitellitia ut nonnulli con-  
ficiunt.*

**P H I L I P P I**, orum, colonia est Thraciae, siue Ma-  
cedonie, de qua Lucanus in primo Pharsaliæ: Vidi iam  
Phœbe Philippo. Extat epistola Pauli apostoli ad Phi-  
lippenses. Philippensis coloniae meminit Iurisconsultus  
in titulo de censibus.

**P I S T R I N V M** dicitur locus siue machina in qua  
frumentum molitur: dictum à pinsendo, hoc est molen-  
do. & pistores qui molunt. & pistrinarij qui pistriini cu-  
ram gerunt. Paulus de uerborum significatione. Pistri-  
num & horreum in fulæ dotali adiectum. in titulo quoq;  
de impensis. l. j. & sape alias.

**P I T Y O C A M P E**, uermis est siue eruca in nucibus  
pineis: nam pitys est pinus, & campe eruca. Plinius libro  
23. Pinorum, inquit, erucas, quas pityocampas uocant.  
Item libro 29. Eadem in pityocampis in pinea nascenti-  
bus, eadem bupresti similiter præparatur. Marcellus li-  
bro 48. ad legem Corneliam de ueneficis & sicarijs. l.  
eiusdem. ubi pro bupresti & pityocampis bubostrum  
& pityocarpas mendose legitur.

**P L A G A E**, sunt retia rariores maculas habentia. Vir-  
gilius quarto Aeneid. Retia rara plagæ, lato uenabula  
ferro. Vlpianus in titulo de fundo instruct. l. quæsumum.  
Aucupes, inquit, & plagæ huiusmodi instrumento con-  
tinebuntur. Accursius plagas palos esse putauit, quibus  
retia fulciuntur.

**P L A G I A R I V S**, non tam eum significat, qui sur-  
ripit seruos alienos, quod putauit Accursius, quam eum  
qui

qui liberum hominem in seruitutem trahit, qui que hominem emit, quem scit esse liberum, & qui liberum esse sciens vendit, aut eo utitur quasi seruo. Plagium vero est ipsa pœna quæ plagiario infligitur. Martialis: Impones plagiario pudorem. Plagiariorū quoque meminit Paulus apostolus in prima ad Thimotheum epist. Apud Iurisconsultos titulus est de plagiarijs ad legē Flauiam.

P O L I O , onis, dicitur qui arma polit. Iulius Fir. lib. secundo: Mars, inquit, & Mercurius in decimo ab horoscopo loco poliones faciunt. Callistratus libro 50. de iure immunita.l. quibusdam.

P O L Y P O S V S , is dicitur qui polypo morbo laberat. est autē polypus, ut inquit Celsus lib. septimo, caruncula modò alba, modò subruba, quæ narium ossi inhæret, strangulatq; hominem, maxime Euro aut Austro flante. Paulus quoque Aegineta: Polypus, inquit, tumor est præter naturam, in naribus consistens, à similitudine marini polypi nominatus, quod eius carni similis sit. Galenus libro tertio decameridon multa de origine & cura illius scribit . Vlpianus libro uigesimoprimo digestorum, titulo de ædili.edicto.l. Qui clavum habet, morbosus est, & polyposus.

P O L I N C T O R E S dicuntur funeris paratores. nam polincere est funus parare. Plautus in Penulo: Propter ea apud uos dico confidentius, quia mihi polinctor dixit, qui eum polinxerat. Idem in asinaria: Ecquis currit polinctorem accersere? mortuus est Demenetus. Vlpianus de institoria actione.l. quicunque. Si libitinarius, inquit, seruum polinctorem habuerit, isq; mortuum spoliaue-

rit, dandam in eum quasi institoriam actionem. Itaque non nihil interest, cum Libitinarij uideantur qui funus curant, polinctores qui efferunt.

**P O P I N A**, locus est ubi edulia esculentaq; parantur hominibus non satis honestis. Vnde Lucilius: Infamemq; in honestam, turpemq; odisse popinam. Nonius: Quos nunc dicimus tabernarios à popinis, uel luxuriosos qui se popinis dedunt. de legatis tertio.l.cætera. Ad tabernas, inquit, uel popinas extenditur.

**P O S T L I M I N I V M**, ut inquit Festus, à post limen componi uidetur: nam postliminio, inquit, receptus est is, qui cum extra limina, hoc est, terminos prouinciae captus fuerat, rursus ad propria reuertitur. Cicero tamen in libro Topicorum ex autoritate Seruij Sulpitij, in postliminio nihil esse putat nisi post, liminium uero nihil significare, sed tantum nominis esse productionem. ut tamen in legitimus, et finitimus, et tullium in meditullium. Et subdit: Postliminio redeunt hæc, homo, nauis, mulus, clitellarius equus, equa quæ frena recipere solet. Vnde in libris digestorum titulus est de captiuis et postliminio reuersis.

**P R A E S E S**, is dicitur qui prouinciam armis tutetur, ne desciscat atq; rebellet, à dominio illius cui est subiecta. Sed quemadmodū vlpia. in tit. de officio præsidis ait, ad illum pertinet potissimum, ut pacata et quieta sit prouincia quam regit. sic euangelista Pilatum Iudeæ præsidem appellat, sub quo C H R I S T V S passus est.

**P R A E M A T V R A**, dicuntur poma quæ nondum uenerunt ad maturitatem. Luca. libro septimo: Ad præmaturas

turas segetum iejuna rapinas Agmina compulimus. ex sic per translationem mors præmatura dicitur, quæ uenit ante tempus. Gell. lib. 19. Cum significamus coactius quid factum ex festinantiis, tunc rectius præmaturè id factum esse dicimus. Papinia. lib. 45. dig. tit. de stipulatib. l. liber homo qui bona fide. Decem, inquit, hodie dari spōndes? dixi posse uel ab eodem die pecuniam peti, nec uideri præmaturius agi non finito stipulationis die. præmaturius exponendum est, id est, festinantiis, ut apud Gellium.

P R A E T O R I V M, non solum est domus ubi Prætor habitat, uel ubi ius reddit, sed etiam regum, principum, ex summorum magistratuum. Vnde nauis præatoria, ex cohors præatoria, ex porta præatoria, id est, ad regem uel principem pertinens. Significat quoq; prætoriū, uillā in agro magnifice extructam, in qua significatione accipitur apud Iuuenal. Criminibus debet hortos præatoria, mēs. Marti. Ad lapidem Torquatus habet prætoria, quartum. Sueton. in Caligula: In extirctionibus, inquit, prætoriorum atq; uillarum omni post habitatione nihil tam efficere cōcupiscebatur, quam quod effici posse negabatur. Nerat. lib. 8. tit. de ser. ru. præd. l. r usti. præd. Vel cloacā, inquit, habere licere per uicini domum, uel prætorium, uel protectum habere licere. Vlpia. de uerb. signific. l. urbana. Sed ex si fortè stabula sunt uel alia meritoria in uillis ex in uicinis, uel si præatoria uoluptati tantum deseruentia, quia urbanum prædium non locus facit, sed materia. En quomodo utrobiique prætorium prædificio in agro ponitur.

P R I D I E, cum accusatiuo & cum genitiuo construi tur: nam ut ait Prisci. temporalia & localia aduerbia in præpositiones transferuntur, ut pridie calendas, & pridie calendarum. Vlpia.lib.24.tit. sol. matrimo.l. fructus. Si mulier, inquit, pridie uindemias dotem dederit. Idem tit. de testamentis.l. qua ætate. Si testamentum, inquit, pri die calendarum fecerit.

P R I M I P I L V S in bello dicebatur, qui quatuor centurijs, hoc est, qui quadringentis militibus præerat. Martia. Grata pudens meriti tulerit cum præmia pili. Modest. lib.27.tit. de excusat.l. non solum. Qui primipi lum, inquit, expleuit. & ibidē: Qui ad caligatas militias & reliquas militauerunt. & in eodem tit. atq; eodem au tore.l. sed & primipilarij, inquit, ex constitutionibus im perialibus uacationem habent. Appellatur & idem pri mipilaris, ut de leg. iij.l. pater filium. Iulius, inquit, agrip pa primipilaris. Iustinia.lib.12.codicis, de primipilo & dignitate, & commodis primipilatus nonnihil differuit.

P R I N C I P I A, in castris dicebantur, in quibus prin cipes castra metabantur: nam ut inquit Varro de lingua Latina, milites hastati dicti sunt qui primi hastis pugna bant, pilani qui pilis: principes qui principio gladijs. Inde principalis porta castrorum dicitur, ut inquit Festus, quod in eo loco est, in quo principes ordines tendunt, id est, tē toria figunt. & principalia in castris inde dicta, ut apud Trogum lib.ii. Si principalia castrorum cerneret, senatum te alicuius reipub. priscæ uidere diceres. Sunt itaq; princi pia in acie, ubi consistūt milites, cognominati principes. Liuius lib. s. ab urbe cond. Principia Latinorum protur bant

bant clamore sublato. Valerius de disciplina militari: Ad principia, inquit, per omne militiae tempus adesse. Terēt. in Eunucho: Tu hosce instrue, hic ego ero post principia. Martia. lib. 49. de re militari. l. officium. Officiū, inquit, tribunorum est principijs frequenter interesse. Ac cursius principijs exponit, cum milites assumūtur, uel cū rixa aliqua nascitur. Sed nihil mirum est, reconditos sensus ignorasse, qui consueuit in manifestis cæcutire.

PRIVILEGIARIVS, is appellatur cui priuilegium aliquod est cōcessum, qui ab indoctis priuilegiatus dicitur: pari errore illi quod pro beneficiario, uocant beneficiatum: nam beneficiarius & priuilegiarius, ea figura dicuntur, qua donatarius, legatarius, testamentarius, depositarius. Vnde milites beneficiarij dicti, qui uocabāt officio. Festus, Vegetius, & Cæsar belli Gallici ultimo cōmentario. Vlpia. lib. 42. de priuil. cred. l. si uētri. Quorum pecunia ad creditores priuilegiarios peruenit. Et statim bis ponit creditores priuilegiarios. Idem lib. 2. de pactis. l. rescriptum. An priuilegiarijs, inquit, absentibus hec pactio noceat. Idem Vlp. lib. 14. tit. quod cum eo qui in aliena potestate. l. sed an hic. Recte, inquit, dicetur occupantis meliorem esse conditionem, nisi quis priuilegiarius ueniat. Sed neq; priuilegium dicitur quod priuet legem, ut isti putant, sed quod sit lex priuata, hoc est, propria alicui in illius fauorem concessa.

PROCURATOR Cæsaris, erat qui res Imperatoris procurabat. Refert Cornelius Tacitus, quòd Claudio Cæsar procuratoribus suis omne ius tradidit, paꝝ remq; uim in rebus peragendis esse uoluit, ac si ipse stas

*tuisset. atq; ut simpliciter loquamur, Vlpiano lib.3. dig.  
autore, procurator est, qui aliena negocia mandato do-  
mini administrat. sed de officio procuratoris Cæsar is tit.  
est in primo dig.lib. ubi Vlpian. ait, quæ acta & gesta  
sunt à procuratore Cæsar is, sic ab eo cōprobari, ac si à  
Cæsare gesta essent.*

**P R O M E R C A L I A**, dicuntur quæ ut diuendantur  
pluris, fuerunt empta. Gellius lib.4. Ex ijs inquit, quæ  
promercalia & usualia. Columel.lib. primo: Aut anima  
libus, aut rebus alijs promercalibus occupet. Idem lib.12.  
de officio uillici: Pecuniam domini neq; in pecore, neq; in  
alijs rebus promercalibus occupet. Paulus lib.25. dig.tit.  
de impensis.l. quod si. Quod si res, inquit, in quibus im-  
pensa factæ sunt, fuerint promerciales, tales impensa non  
uoluptuariæ, sed utiles sunt.

**P R O L Y T A E**, Iustiniano autore, in proœmio dige-  
storum, illi dicebantur scholares, qui quintum iam annū  
iuri ciuili operam dederunt, quemadmodum appellaban-  
tur lytæ, qui quatuor annos eidem studio incubuere, nam  
quod legitur coloritæ, pro eo quod debuit esse prolytæ,  
mendum est manifestarium, ex Florentinis illis Pandc-  
etis deprehensum. Sed cur illi dicantur lytæ, id est, soluti,  
hi uero prolytæ, id est, præsoluti, nondum mihi liquet,  
nisi fortè hi sunt quos nunc uocant licentiatos: illi, quos  
bacularios.

**P R O M P T V A R I V M**, cella est in qua reponuntur  
edulia quæ ad usus cotidianos comparata sunt: eoq; dif-  
fert à penario, ut in suo loco dictum est, cum sit penus, ut  
Phauorinus ait, quod longe uisionis gratia conquiritur.

Apule

Apuleius in 1. de asino. Ex promptuario oleum unctui,  
et linteae tersui. Hieronym. interpres in psalmo, Prom-  
ptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud. Paul. tit.  
de penu leg.l. nam quod. Si cui quæ in promptuario sunt,  
legata sunt. Dicitur quoq; cella promptuaria, et pro-  
mus dispensator. Omnia à promendo dicta.

PROMULSIDARIVM, poculum est mulso bi-  
bendo aptum. Mulsum autē, ut diximus, potus est ex mel-  
lis et uini cōmixtione cōcinnatus. Pompo. in tit.de auro  
et arg.leg.l. et si. Scutellas, inquit, et promulsidaria  
contineri. repositoria quoq; continebuntur.

PRORETA, dicitur is qui nauis proræ præfectus  
est, et est Græcū, nam proreus dicitur. Plaut. in Rudē.  
Si tu isti nauī proreta es, ego gubernator ero. Pau.lib.39.  
de public. et uectigal.l. cotem. Proreta, inquit, nautā ue.

PROSCAEVIM, inquit Seruius in illud Virg. se  
cūdo Geor. Veteres ineunt proscænia ludi. est pulpitum  
ante scænam in quo ludicra exercentur. Vlpia.lib.50.de  
pollicitationib.l. de pollicitationi. Probè, inquit, faciet  
Statius Ruffinus, si opus proscænij perficiat. Iustinianus  
lib.11.codicis, tit. de spectaculis.l. si qua. Vel in theatri,  
inquit, proscænijs. Utroque Accursius nihil aliud quām  
locum esse dicit.

PROSCINDERE terram, est illam uertere cum  
primum aratur. Nam ad uernactum faciendū terra pri-  
mum proscinditur: deinde offringitur, siue iteratur:  
postea tertiatur. Virg.1. Georg. Et qui proscisso quæ su-  
scitat æquore terga. Varro in primo de re rust. Terram,  
inquit, cum primum arant, proscindere appellant: quod

iterum, offringere dicunt. Paulus titulo de uerborum significat. l. sylua. Noualis, inquit, est terra proscissa. non præcisa, quod delirat Accursius.

PROTHYRUM, autore Vitruvio, est uestibulum ante domorum ianuas, à pro quod est ante, & thyra ianua, aliquando etiam pro antepagamento, id est, ianuarum ornatu ponitur. Idem Vitruvius aliubi: Nos, inquit, prothyra appellamus, quæ Græcè dicuntur diathyra. VI pia. tit. de fundo instru. l. quæsitum. Prothyrum domus, si uelamen est, instrumento domus continetur. Accursius ægroti somnia narrans, prothyron à thyros quod est magister, dedit. Sed quomodo magister instrumento domus contineatur, ipse uiderit. Multo adhuc somniculosius in illud Pomponij de uerb. signific. l. statuæ. Prothyrum quod in ædibus interdum fieri solet: Prothyrum, inquit, quia procul trahitur, quasi Latina dictio esset. Illud profectò simplicius, quod ingenuè fatetur se nescire quid prothyrum sit.

PROTOCOLON, interpretatur primum membrum, ut sit prima illa scriptio, quam in cōmentarij modum tabelliones scriptitant: quæ significantius commentationes, aut prototypa, aut archetypa dici possent. Codice titulo de tabellionibus. collat. 4. Ut protocola, inquit, dimittant in chartas.

PROXENETA, non ut uulgo legitur, proseneta, latine interpretatur mediator, id est, qui conciliat inter se ementes & uendentes, maxime hospites, unde nomen deductum est: nam xenos hospes interpretatur. Seneca in epist. Nolo proxenetæ nomen tuū iactent. Et Martialis: Vatinio

Vatiniorum proxeneta sartorum.lib.50.dig. de proxene  
tis.l.si proxeneta. et ibidem sepe.

P V B L I C A N O R V M ordo, quemadmodum Cicero  
in multis locis scribit, Romæ fuit hominum honestissimo  
rum.hi uectigalia publica conducebant, et inde dicti. In  
sacris literis publicanus nomen propemodū est infamiae,  
propterea quòd qui portoria exigunt, odio sunt omni-  
bus.unde Saluatori nostro uitio dabatur, quòd cum pu-  
blicanis et peccatoribus manducabat. Apud Iurisconsul.  
tit.est de publicanis et uectigalibus.

P V L M E N T A R I V M , dicitur à pulmento. Pulmen-  
tum uero, ut ait Varro, dictum est, quod id edebant cum  
pulte: est autem cibus solidior utrumque, siue illud sit ex  
aquatilibus, siue ex terrestribus. Horat.2.Serm.Pulmen-  
taria quere sudando. Cato de re rust. Pulmentariū fami-  
liæ oleæ caduce quā plurimum condito. Pau.tit.de fun.  
instru.l.cum de lanionis. Sine his, scilicet patinis et caca-  
bis, pulmentarium coqui non potest.

P V S T V L A T V M argentum, dicitur, quod est pu-  
rum et absq; omni spurcitia. dictum pustulatum, quasi  
purum putumq;. Pustula quoq; ipsa argenti puri massa  
dicitur. Martialis: Et nimium felix pustula uincit ebur.  
Idem: Nulla uenit à me argenti tibi libra pustulati. Suetonius in Nerone: Nummum asperum, argentum pustula-  
tum, aurum obrizum exegit. Alphenus libro decimonono-  
no, titulo locati et conducti.l. in naue sauphelli. Cum  
argentum, inquit, pustulatum fabro daretur. Accursius  
hallucinans uarijs modis, legit quasi is qui nihil certi ac  
definiti tradit.

## Q

**Q**VALLI, sunt canistra uindemiae apta, siue ad cōportandas uvas, siue ad colandum mustum, ut uult Seruius, inde dicta. Ait nanq; in illud Virg.2.

Geor. Tu spissos uimine quallos Colaq; praelorum fumis diripe tectis. Qualli sunt per quos uinum defluit, qui ex ipsi à colando sunt dicti. Columella in horto: Ipse frērens olitor deductos pondere quallos. Et Cato de re rustica: Ad uindemiam, inquit, parentur qualla & sarcinatur. Vlpian. de fun. instru.l. instrumenta. Qualli, inquit, uindemiatorij exceptorijsq;, in quibus uuæ cōportantur.

**Q**VINI, æ, a, quemadmodum de binis & denis est di-  
ctum, nomen est diuiduum siue distributuum ad singu-  
los tantum. Aphricanus lib.21.tit.de euictionib.l.si duos.  
Si duos, inquit, seruos quinis à te emam, & eorum alter  
euincatur &c. Accursius quinis pro bis quinq; exponit,  
falso nimirum interpretamento. aliud nanque est emere  
duos seruos quinis aureis, aliud bis quinque, id est, decem  
aureis: nam illud significat quod quenq; illorum emi  
quique aureis diuisim, hoc uero quod ambos emi decem  
aureis coniunctim. Cui uero sensui magis accōmodari de-  
beant uerba legis, iuris consulti uiderint, nos sermonis La-  
tini puritatem inquirimus.

## R

**R**EFIGERE, est id quod fixum est labefactare at-  
que conuellere: nam sunt uerba quedam que com-  
posita cum re uertunt significationem in contrarium.  
Virgilius sexto Aeneidos: Fixit leges pretio, atque re-  
fixit

fixit. Horat. j. Epist. Qui templis Parthorum signa refixit. Venuleius libro 43. quod ui aut clam. l. si uitem. Si fixeris, inquit, et ego refixerio. Paulus titulo de uerborum obligatione. l. inter. Tabulæ ait, refixa sunt. Venuleius tit. ad legem Iuliam peculatus. l. qui tabulam. Qui tabulam, inquit, æream refixerit. Tabulam æream Venuleius intelligit, in qua aliqua lex erat scripta, ut sic promulgaretur. Quod uero huiusmodi tabulæ essent æreæ, ostendit Ouidius in primo Metamorph. cum dicit: Nec uerba minantia fixo Aere ligabantur.

R E P E T U N D A R V M , uel de repetundis, accusatur quis uel damnatur, qui in administratione magistratus pecunias accepit, unde accipere non debuit. Neq; habet alios casus quam genitium et ablatium numeri pluralis. Sallustius in Catilina substantium subintellectum expressit, dicens: Catilina pecuniarum repetundarum reus. Titulus est in libro digestorum 48. ad legem Iuliam repetundarum, de qua Martianus his uerbis scribit: Lex Iulia repetund. pertinet ad eas pecunias quas quis in magistratu potestatis ue curatione, legatione ue acceperit.

R E P L V M B A R I dicitur argentum, quoniam elaborati argenti partes non possunt consolidari, nisi interveniente plumbo: nam quemadmodum supra diximus ferruminatione fieri per eandem materiam, ita nunc dicimus plumbationem fieri per aliam materiam, hoc est, per plumbum. Seneca in quarto naturalium quæstionū: Argentum, inquit, replumbatur, signorum argumenta soluuntur. Vlpia. de auro et argento leg. l. cum aurum.

*An replumbari debeam cum sic appenduntur. Replumbari igitur est plumbum auferre.*

**R E S I P I S C E R E**, est ex temporario furore in pristinum sensum redire. Liuius lib. 24. Si quis resipiscat & antiquam sanitatem recipiat. De uulgari & pupilla. l. ex facto. Desinere, inquit, ualere testamentum cum resipuisset.

**R H E D A**, uehiculi genus est. Quintilianus lib. primo, uocabulum gallicum esse putat: Plurima, inquit, Gallice ualuerunt, ut rheda, petoritum: quorum altero Cicero, altero Horatius utitur. Iabolenus libro 19. titulo locati & conducti. l. cum in plures. Pro sola, inquit, rheda portorium daturus fuerit.

**R I V A L E S**, dicuntur qui eundem riuum communē habent. Gellius libro decimotertio: Negotium quoque alicuius quod ei fortè de aquæ ductu cum riualibus est. Pompo. lib. 43. titu. de aqua cotidiana. l. hoc iure. Dum ne fundum, inquit, domino, aut aquarium riualibus deterris faciat. Per translationem riuales dicuntur, qui communem habent amicam. Iuuenalis: Non unus tibi riialis ditabitur hæres.

**R O G A T I O**, rogationis, pro eo quod est lex, propterera sic appellata, quod cum promulgatur, populus rogatur, uelit ne, & iubeat eam legem sanciri. Festus: Rogatio, inquit, est cum populus consultetur de uno pluribus ue hominibus, quod non ad omnes pertineat, & de una pluribus ue rebus de quibus omnibus sanciatur. Nam quod in omnes homines resq; populus sciuit, lex appellatur.

RVB

R V B R I C A , genus est terræ rubræ, quæ ad picturā solet accommodari. habetq; accentum in penultima. Horatius Sermonum libro secundo . Prælia rubrica picta aut carbone. Persius: Non secus ac si oculo rubricam dirigat uno. Quæ uero in iure ciuili & pontificio dicuntur rubricæ, tituli siue indices rubri, uel ex rubro, possunt rectius appellari.

R V D E R , ruderis, siue rudus ruderis, est purgamentum domus, siue putei, siue cuiuscunque rei quæ ex sordibus purgari debeat. Columella in horto: Rudere tum pingui solido uel stercore aselli. Suetonius in Vespasia= no: Ipse restitutionem Capitolij aggressus ruderibus purgandis manus primus admouit. Vlpianus titulo de damnatione infecto. l. prætor ait. Neque dominus uelit rudera egerere. & in eodem titulo sape.

## S

S A C C A R I V S , dicitur baiulus qui sacco defert transfertq; merces, aut aliquid aliud à loco in locum. Et saccaria negotiatio est dicta quæ circa saccos uersatur. Apuleius primo de asino: Operulas quas adhuc uegetus saccariam faciens merebā. Vlpia. in quadam lege. Si quid, ait, ex sacco saccarij excidisset. Et est saccus idem ferè atq; ex eadem materia, qua sagum sagi.

S A C C U S sacci, & sacculus sacculi, pro nummoriū loculis accipiuntur plerunque. Plinius libro secundo: Aurum & æs & argentum liquatur in sacculis. Marti. Ex cuſſi loculosq; & sacculum. Vlpianus libro 47. in titulo de furtis. l. vulgaris. Si quis, inquit, qui uiginti nummoriū

saccum deposuisset, alium saccū in quo scit triginta numeros esse acceperit. Et paulò post: Si quis, ait, surripuerit furto duos sacculos, unum decem, alterum uiginti numerorum. Idem in titulo de statu liberis. l. statu liberos. Decem, inquit, iussus erat dare, uiginti dedit, siue numerauit, siue in sacculis dedit.

S A C C U L A R I V S dicitur, qui saccis, id est, loculis quibusdam præstigias quasdā exercet, ut aliud fiat, aliud uideatur fieri. Vlpianus in titulo de extraordinarijs criminibus. l. saccularij. Saccularij, inquit, qui ueritas in sacculis artes exercentes, partem subducunt, partem subtrahunt. Idem in titulo de effractoribus & expilatorib. l. j. saccularium pro fure qui in saccū res furto ablatas iniicit, accipere uidetur. Simili, inquit, modo saccularij & diætarij, erunt puniendi.

S A C R V M , ut Macrobius libro Saturnalium primo, autoritate Trebatij definit, est omne illud quod deorum habetur, idq; probat multis Virgilij carminibus. Iustinianus libro secundo Institutionum: Sacræ, inquit, res sunt, quæ rite per pontifices deo dedicatæ sunt. Martia. quoque libro primo digestorum, titulo de rerum diuisione. l. in tantum. Sacræ, inquit, res sunt hæ, quæ publicè consecratæ sunt, non priuatim.

S A G A R I V S , est uendor sagorum, de quo Iuuena. dixit, An saga uendēdi nubat caupone relicto. Est autem sagum textum ex lana caprina, aut hirca ex ouibus, idem ferè quod saccus. Vnde sagarius, a. um, ad saga pertinēs. Vlpian.lib.14.titu. de tributoria actione. l. procuratoris. Duas, inquit, negotiations, puta sagariā & lintheariā.

SAG

S A G M E N , inis, herba notissima est, non tamen sub hoc nomine, sed sub alio quo appellatur gramen siue uerbenā, Græcè agrostis, quæ uero Hispane dicitur uulgo uerbena, ea Latine est uerbenaperica, & Græce piste=reon . Liuius primo ab urbe condita : Sagmina, inquit, te rex posco . rex ait, puram tollito. facialis ex arce gra= minis herbam puram attulit. & sequitur: Verbena ca= put, pilosq; tangens. Idem quoq; scribit Plinius libro 22. Non aliunde, inquit, sagmina in remedijs publicis fuere, & in sacratis legationibus quam uerbenæ, certe utroq; nomine idem significatur, hoc est gramen ex arce cum sua terra reuulsum. Martia. libro primo de rerum diui. l. sanctum est. Sunt, inquit, sagmina quedam herbæ, quas legati populo Romano ferre solebant, ne quis eos uiola= ret: sicut legati Græcorum ferunt ea quæ uocantur cera= tia, id est, siliquas.

S A L G A M A , inquit Merula, appellantur quæcun= que conditanea ad uictum nostrum ex sale in uasis adser= uantur. Columella lib. 13. de re rustica. Locum & uasa idonea salgamis præparari iubet. Idem in horto: Tempo= re non alio uili quoque salgamina merce . Condiebantur autem ex sale præter oleas asparagi, capparis, & tristes inulae, ferulæq; minaces. In libro duodecimo codicis, titu= lus est de salgamo hospitibus non præstando . Ne quis, inquit, comitum, uel tribunorum salgami nomine, culci= tram, lignum, oleum, à suis extorqueat hospitibus. Accur= sius à sale & gamos compositum esse dicit, quod culci= tram interpretatur, quoniam, ut ait, propter nuptias culcitra est. Pulchra expositio, atque tali digna interpre

te, qui putet culcitram ob eam tantum causam paratam, & qui nulla cogente necessitate compositionem ex Latino & Græco faciat. Est igitur sensus legis, quod cum parochi soliti sint præstare hospitibus salgamā, appellatione salgami non debent ab illis exigi culcitra, ligna, oleum. Atqui ligna & sal solita esse præberi, testatur Horatius in primo Sermonum, cum dicit: Et parochi qui præbent ligna salemq;. Sed à sale appellatum esse salgamum, non est dubium. Sed appellatione salgami siue salis quid intelligi debeat, Imperator expressit.

SALIENS, tis, dicitur fistula pars illa unde aqua salit, que Græce appellatur Crunos. Vitruvius libro octavo: Athenis, inquit, usque ad portum Pyreum ducti sunt salientes, è quibus bibit nemo. Frontinus de aqueductibus. Binos, inquit, salientes diuersarum aquarum accipere. Vlpia. lib. 19. dig. l. limes. Labra, inquit, salientes, fistulæ quoque que salientibus iunguntur.

SALICUM, locus est ubi salices consitæ sunt, pro eo quod esse debuit, salicetum, ea forma qua à queru fit queretur, à lauro lauretum. Aliquando etiam pro ipsis salicibus accipitur. Virgilius in Bucolicis: Hybleis apibus florem depasta salicti. Et in secundo Georgicorum: Glaeca canentia fronde salicta. Iurisconsultus arborum furtim cæsarum. l. uitem. Arborum, inquit, appellatione uitem contineri plerique existimauerunt, hederæ quoque, arundines, & salictum. Pro loco uero salicum Columella libro primo: In prata & arua salictaq; & arundineta. Vlpia. tit. de fund. instru. l. quæsitū. Arundineta, inquit, & salicta ante aquam cæsa sint.

SALI

SALIGNEVS, a, um, quod est ex materia salicis arboris notæ. Cato de re rustic. Si lapis non erit, particis saligneis. Ouid. octauo Meta. Lecto non indignanda saligno. Vlpia. Arborum furtim cæsarum. l. uitem. Sed & si quis saligneas uirgas instituendi salicti causa defixerit.

SALTVARIVS, inquit Valla, est custos saltus. Saltus uero dicitur ubi pascuntur armēta, feræq; uersantur. Iurisconsultus tamen de legatis tertio. l. cum queritur pro agri custode accepit. Neq; topiariū, inquit, ornandi, saltuarium tuendi fundi magis quam colendi causa paratum uideri. Item de fundo instr. l. instrumenta. Si uiridaria, inquit, sint, topiarij. Si fundus saltus pastionesq; habeat, greges pecorum, pastores, saltuarij.

SALVSTIANI horti, fuerunt Romæ, quorum Plinius libro septimo meminit. In conditorio, inquit, Salustianorum hortorū adseruabant. Aphric. de leg. j. l. idem Julianus. Si Salustianos, inquit, hortos, qui sunt Augusti.

SAPA, quod Græce tum hepsema, tum syreum dicitur, est cum mustum ad tertiam partem decoquitur. Plinius libro dicimoquarto: Syreum quod alij hepsema, nostri sapam appellant. Idem libro uigesimotertio. Vino cognata res sapa est musto decocto, donec tertia pars supersit. Marcel. Sapa, inquit, quod nunc mellaciū dicimus, mustum ad medium partem decoctum est. Vlpianus de fundo instruct. l. quæsitum. Vas, inquit, æneum in quo sapa decoqueretur, & defrutum fieret, & ea quæ ad bibendum lauandumq; familiam parātur, instrumēti esse. Sapa, inquit Accursius quiddam quod fit ad potandum, dicta quasi parum saporis habens.

S A R C I N A T O R E S , & Sarcinatrices , dicuntur autore Nonio , qui pannos , siue ex pānis uestes consuunt . Plautus in aulula . Petunt fullones , sarcinatores petunt . Lucilius : Sarcinatore ē esse summum , suere centonē optime . Vlpianus libro 47 . tit . de furtis . l . itaq ; fullo . Itaq ; uel sarcinator , qui polienda uel sarcienda uestimenta accipit . In alia quoque lege . Et ancillarum , inquit , maxime si qua sarcinatrix erit .

S A R C O P H A G V S , lapis est qui peculiariter hoc habet , ut carnem ex cadaueribus exedat , dictus à sark sarcos , quod est caro , & phago comedo . Plinius libro 36 . Sarcophagus lapis est , qui fissili uena scinditur , corpora defunctorum condita in eo absuntur . Celsus libro quarto : Lapis qui carnem exedit , quem sarcophagon Græci uocant . Vnde & pro sepulchro quod ex eo lapide fieri consueuit , plerunque ponitur , sed & pro sepulchro ex alia quauis materia . Iuuenalis : Sarcophago contentus erit . Modestinus de alimentis & cibarijs legatis . l . libertis . Ad sarcophagum , inquit , meum , memoriam quotannis celebrent . Marcellus tit . de religiosis . l . funeris . Si qua , inquit , uestiaria sunt . uel sarcophagi .

S A R C U L V S , li , uel sarculum , li , instrumentū est quo sata sariuntur , id est , herbis internascentibus purgantur . Iuuenalis : Ne marrae ac sarcula desint . Aliquando simpliciter pro instrumento fossorio accipitur , ut apud Horatium in primo carminum : Gaudentem patris findere sarculo Agros . Vlpianus de fundo instruct . l . instrumēta . Ligones , inquit , sarculi , falces putatoriae , bidentes . Accursius multipliciter exponit .

S A R

SARDONYX, ychis, lapillus est unus ex ijs qui in precio habetur, referens colorem Sardij & Onychis, ex quibus uidetur compositum esse nomen. Onyx autem lapis est quē uulgus Corneolam appellat. De Sardonyche Plinius lib.37. multa scribit. Vlpi.lib.48.tit.de bon.dam. l.diuus. Si damnatus, inquit, in digito habuerit aut sardonycha, aut aliam gemmam magni precij.

SARMATAE, siue Sauromatae, nam utroq; modo appellantur, populi sunt septentrionales, alteri in Asia, alteri in Europa. nam duplex est Sarmatia. Luca.in 3. Et iuncto Sarmata uelox Pannonio. & ibidem: Affinis Sarmata moscho. De auro & arg. leg.l. argumē. Sunt, inquit, nationes quædam quæ pellibus utūtur, ueluti Sarmatarū.

SATIVS, pro eligibilius atq; melius, aduerbium est comparandi ab eo quod est satis. Iuue. Hoc satius quam si dicas sub iudice uidi Quod non uidisti. Vlpianus de fidei=commis.liber.l.si debitor. Satius est eum qui agnouit legatum onerari.

SATRICVM, urbs fuit antiquissima Italiæ, de qua Liuius lib.28. Satrici matris matutæ de cœlo tactā ædem. Florus de bello latino: Satricum atque Corniculum quis credat? tunc prouinciae fuerunt. Scæuola tit.de leg.3.l.pastronus. Fundum, inquit, Satricanum in regione Nisana.

SCAENA, ut inquit Seruius, in illud Virg.1. Aeneid. Tum syluis scena coruscis Desuper. potest in umbratio interpretari: apud antiquos enim theatalis scena partem non habebat, sed de frondibus arborum umbracula quærebat, postea tabulata cœperunt componere in modum parietis. Vlpia. de ijs qui notantur infamia. l. quod

L

**prætor.** Qui in scænam, inquit, prodierit, infamis est. Et subdit: Scæna autem est, ut Labeo definit, quæ ludorum faciendorum causa quolibet loco ubi quis consistat moveatur, spectaculum sui præbitura. Inde ludi scænici dicti, qui in scæna repræsentabantur. Sed definitio Labeonis de scæna uersatili intelligenda est, de qua Virg. in 3. Georg. Vel scæna ut uersis discedat frontibus. De scæna uersatili Plinius & Valerius. Inde dicti ludi scænici, qui in scæna repræsentabantur, quorum fit mentio à Iurisconsultis frequenter.

**S C A E V A,** dicitur qui manu sinistra perinde ac dextra utitur, nam scæuos græcè, sinister interpretatur. hinc Romanorum cognomina. Hinc Scæua miles ille Cæsarius, qui bello civili fortiter dimicans, pro munitione cæsus est, & Scæuolarum nobilissima familia. Vlpia. de ædilitio edicto. l. qui clauum. Scæuam, inquit, non esse morbosum.

**S C A N D U L A R I V S,** est faber lignarius qui scandulas facit. Sunt autem scandulae ex ligno assulatim deserto. Plinius libro 16. Scandulae è robore aptissimæ. Vitruvius libro 2. Scandulis robusteis aut stramentis. Vegetius lib. 2. de re militari: Tempore hyemis de tegulis uel scandulis porticus tegitur. Inde scandulare, quod scandulis cōstat. Apuleius tertio Meta. Iam uecors animi tectū scandulare concendit. Scandulariorum meminit Iurisconsultus de iure immunitatis. l. quibusdam.

**S C A P H A,** nauigij genus est minusculum, ueluti monoxylon, hoc est ex uno solidog; ligno excavatū, ad quod allusit Virg. in primo Georg. cum dixit, Cauat arbore lntres. Et est ferè quæ deputata est maioris nauis ministerio

sterio, & que pro tempore nunc ex nauis deducitur, nunc in nauem subducitur. Dicta est autem scapha à scapro, quod est cauo siue fodio. Labeo titulo de fundo instru. l. si nauem. Scapha, inquit, nauis, nō est instrumentum nauis.

SCAPHIVM, uas est in quod uentris frides excipiuntur. Martialis: Qui mentora frangis In scaphium mœchæ Sardanapalæ tuæ. Iuuenalis: Et ride scaphium positis cum sumitur armis. Vlpia. in tit. de auro & arg. leg. l. Quintus Mutius. Argento autem legato non puto uentris causa habita scaphia contineri, quia argenti numero non habentur. Accursius scaphium genus cinguli esse dicit, & uentris causa exponit, quia corrigia est pro uentre sustentando, quasi non ex auro etiam scaphia fieri consueuerint, dicente Martial. Ventris onus misero, nec te pudet excipis auro.

SCORTVM, est meretrix à uiris plurimum attricata, & cuius nimio coitu genitalia ad corij duriciem obcalluerunt indurueruntq;. Festus Pomp. Scorta, inquit, meretrices, quia ut pelliculæ subigantur: omnia namq; ex pellibus facta, scortea appellantur. Julianus lib. 41. tit. pro emptore. l. si quis scorto, inquit, daturo pecuniam seruos emerit.

SCRUPVLVS, siue scrupulum, lapillus est in forma diminutionis à scrupo, quod est lapis asper. Aliquando tam accipitur pro 24. parte unciae, à Græcis id pondus gramma dicitur. Priscia. de ponderib. Semioboli duplum est obolus, quem pondere duplo Gramma uocant. scrupulum nostri dixerunt priores. Iustinianus libro 11. Codicis titulo de metallarijs. Octonos, inquit, scrupulos in baluca.

hoc est tertiam unciae partem: quoniam, ut diximus, uncia quatuor & uiginti scrupulos continet.

SCRUPULOSVS, a,um, accipitur pro scrupulis hoc est asperis lapillis plenus. Vnde res difficiles scrupulose dicuntur, & scrupulositas, illa difficultas, atq; examinis scrupulosa subtilitas. Vlpi.lib.28.tit.de iniusto testamento.l.posthumus. Licet iuris scrupulositate nimiaq; subtilitate testamentum ruptum uideatur.

SEBASTANI, siue Sebastiani, populi sunt Sebastae urbis incolæ, quo nomine duas urbes legimus, alteram Cappadociae, & alteram Samarie in Palestina Iudea, que in honorem Augusti Cæsar is, qui græcè sebastos, Sebastæ est cognominata. De utra tamen illarum in tit. de ann.leg.l.liberto. Iurisconsultus intellexerit, nō liquet, neq; multū refert, cum dicit patriæ suæ ciuitati Sebastianoru.

SECUNDVM præpositio, multas habet significations, inter quas & illam, quod aliquando accipitur pro eo quod est pro. Gell. Sin uero secundum te iudicatum erit, id est, pro te, id est, ut uulgò loquuntur, in fauorem tuum. Idem lib.13. Illi unde petitur crederet, & secundum eum iudicaretur. Aliquando ponitur pro iuxta. Luca.in s. Secundum Aemathiam lis tanta datur. & Virg.3. Geor. Et plena secundum flumina. Vlpi.tit.de præscriptis uerbis.l.duo. Duo, inquit, secundum Tiberim cum ambulant. Papinianus lib. 43. tit.de via publica.l.ædiles. Eas, inquit, quæ secundum ciuitatem sunt vias.

SEDVLARIVM pro lectica siue sella, uidetur accipere Iurisconsultus in titulo de supellectili legata.l.instrumenti, cum dicit Rhedæ & sedularia: nam sellam à sede

*sede dici d, mutata in l, omnes grammatici testantur, sel=lam autem accipi manifestum est. lege utroque.*

**S E L I N I S**, nomen est duarum ciuitatū, altera namq; est Ciliciæ, de qua Lucan. lib. 8. Quo portu mittitq; ra=tes recipitq; Selinis. Altera Siciliæ de qua Virg. 3. Geor. Palmosa Selinis. de hac Iuriscon. in tit. de censib. In Sici=lia, inquit, Selinis & Traianopolis.

**S E L L A** pro lectica siue pro parte lecticæ in qua se=det qui lectica uehitur, nam Iuuena. de eadem re sellam & lecticam dixit: Centum, inquit, quadrantes lectica pe=tit. & paulò post: Ostendens uacuā, & nudam pro con=iuge sellam. Paulus de seruitutibus rusticorum prædi. l. qui sella. utrunq; coniunxit. Qui sella, inquit, aut lectica uehitur, ire, non agere dicitur. quod quām in epte ab Ac=cursio exponatur, in uerbo lectica diximus.

**S E M I S** semiſſis, pro solidi, hoc est aſſis dimidio : ut ſi quis ex ſemiffe relictus fit hæres, intelligendum eſt di=midium hæreditatis illi debere cedere. Labeo ti. de uulga=ri ſubſtitutione. l. ſi pater. Ut unus, inquit, ſemis apud te maneat. & ibidem. l. & ſi. Per bonorum poſſeſſionem ſe=miſ ei ſit ablatus.

**S E M I S S E S** uſuræ, quæ dicātur, & quæ trientariæ, primus omniū ostendit Hermolaus Barbarus, uir omniū meo iudicio nostri ſeculi eruditissimus: is enim in ſecun=da æditione caſtigationum Plinianarum libr. 14. in illud, uſura multiplicata ſemiſſibus: ex autoritate Columellæ, atq; ipsa ratione & aequitate quæ omni autoritate præ=ſtantior eſt, manifeſte demonstrat, uſuras ſemiſſes eas eſ=ſe, quæ ex centenis nūmis redduntur quotannis, habitare

tione non ad centum, sed ad duodecim uncias, quæ assēm  
constituunt. Trientarias uero usuras quæ ex centenis red-  
dunt quaternos nūmos. Quadrantarias quæ ternos. De  
semisib⁹ usuris dixit Plinius. Usura multiplicata semis-  
fib⁹, quæ ciuilis ac modica est. Quod si ex tantū quot-  
annis quinquaginta redderentur, esset profecto inciuilis  
et iniqua: tanto mitiores quæ trientes et quadrātes ap-  
pellantur. De trientaria usura Capitolinus in Alexādro  
scripsit, exercuisse illū trientariū fœnus ut æquissimum  
et leuissimum ad usum reipublicæ de hac quoq; scribit  
Paulus, in titu. ad legem falcidiam. l. si hæres. Si reipubli-  
cæ, inquit, in annos singulos legatum sit, cum de lege fal-  
cidia queratur, Marcellus putat tātum uideri legatum,  
quantū sufficiat sorti ad usuras trientes eius summæ quæ  
legata est colligendas. Est sensus legis. si reipub. legati es-  
sent in annos singulos quater mille nūmi ex centum mil-  
libus nūmorū, quibus æstimatur hereditas, quaterni mil-  
leni colligerētur quotannis usuræ trientis nomine. Quod  
si ut isti legum interpretes putant, usura triens esset non  
quatuor de centum, sed triginta tria, sequeretur hoc in-  
commode, quod si hereditas centum millium nummo-  
rum foret, et ex ea in annos singulos uiginti quinque le-  
garentur, quis tam stupidus, tamq; nullo sensu talem hæ-  
reditatem adire uellet, que quarto demum anno sit absu-  
menda, et obligatio nihilominus legati tota maneat. Hoc  
legum interpretes non considerantes omnia miscent  
atque perturbant, neque tamen enatant, aut aliquid cer-  
ti enunciant. Accursius in primis, qui exemplo quod po-  
nit exponendo legem, omnino fatetur se ignorare quid  
sit

fit usura triens. Sic etiam intelligendum est, quod Scænula lib. 22. titu. de usuris. l. qui semisses. scribit: Qui semisses, inquit, usuras promisit per annos singulos & minores præsttit, hæres creditoris semiſſes, petit &c. Sed ut liquido ante oculos ponamus, quid per usuras semisses intelligendum sit, libuit ad uerbum transferre quod scribit Columel. libr. 4. de re rustica. Vinitor, inquit, licet sic emptus sex uel potius octo millibus sestertijs, tum ipsum solum octo iugerum totidem millibus nummorum partum, uineasq; cum sua dote, id est, cum pedamentis & uiminibus binis millibus in singula iugera positas duco. Fit tum in assem consummatum premium sestertiorum 29. millium. Huc accedunt semisses usurarum sestertia tria millia & quadringenti octoginta nummi biennij temporis, quo uelut infantia uinearum cessat à fructu. fit in assem summa fortis & usurarum triginta duorum millium quadringentorum octoginta nummum. Quod quasi nomen si ut fœnerator cum debitore, ita rusticus cum uineis fecerit, eius summæ ut in perpetuum prædiatam usuram semiſſū dominus constituat, percipere debet in annos singulos mille nongentos quinquaginta sestertios nummos. Ex his Columellæ uerbis euidentissime colligitur ex usuris semiſſibus non quinquagenos de centenis, sed senos duntaxat in annum redire creditoribus, sicuti quaternos ex trientibus, & ternos ex quadrantibus.

SEPTA, oppidum est Aphricæ Mauritaniæ, ex aduerso Mellariæ positum, quæ nunc Tarifa, illud Cepta vulgo dicitur. In codice ti. de officio prætoris Aphricæ. l.

*in nomine domini. Iubemus, inquit, in traiectu qui est circa Hispaniam, qui Septa dicitur.*

**S E P T V M**, quod est à sepiendo dictum, complura significat: nam *septa* dicuntur quæ sunt munita siue lapidibus siue formaceis parietibus, hoc est terra pavita, siue ex lignis, siue etiam ex uepribus & spinis. Hinc dicta Romæ *septa* in campo Martio. Hinc *septa* à Iurisconsulto appellantur quæ sunt opposita ad fossas inciles, ne aqua fluminis euagetur. Vlp. libr. 40. titu. de riuis. l. 1. *Septa* sunt, inquit, quæ ad incile opponuntur aquæ deriuandas compellendæ ue ex flumine causa, siue linea siue lapidea sint.

**S E R I A**, uas est fictile uino alijs' ue rebus adseruandis aptū. Persius: O si sub rastris crepet argenti mihi seria dextro Hercule. Inde per diminutionē idē autor deduxit seriolā. Vlp. in ti. de uerb. sig. l. *Vinaria dolia*, inquit, & serias tādiu in ea causa esse, quādiu uinū cōtinerent.

**S E R I C V M**, quēadmodū diximus in uerbo bombycinus, lanæ genus est, quod apud Seras Indos ex arboribus depeccitur, non illud quod uulgo creditur. Hora. in Epodo: Inter sericos iacere puluillos amant. Vlp. ti. de auro & argento leg. l. uestis. *Vestimentorum*, inquit, sunt omnia lanea, linea, uel serica, uel bombycina.

**S E S C V N C I A**, est uncia cum dimidia. Plin. in calce libri 30. *Fastigium*, inquit, seruari in pedes denos sescunciamq;. Inde sescunciale quod sescunciā cōtinet. Pli. li. 13. *Craſſitudine*, inquit, sescunciali. Vlp. in ti. de legatis praefādis. l. filium. Ut partis, inquit, dimidiæ quartam. id est, dimidium totius assis sescunciam retineat. quarta namq; pars

pars tres uncias continet. igitur dimidium quartæ fescun-  
cia est, id est, uncia et semis.

SESTERTIVS nummus duos asses cum semisse ualebat: unde dictus sestertius quasi semisse dempto de tribus. Assis autem non semper in eodem ualore persttit: nam as Seruio Tullo rege Romanorum pondere duodecim unciarum percussus est, primum sub nota pecudis, quod unus as pecude permutabatur. unde et pecunia dicta. Postea uero primo bello Punico sextatario pondere percussus est as: deinde secundo bello Punico unciales asses facti, atq; deinceps paulatim principes imperatoresq; assium pondus ualoremque imminuere, in tantum ut Saluatoris nostri etate asses uix semunciales essent. Vnde Matthæi cap. x.. Non ne, inquit, duo passeress asse ueneunt? quod et Marcus alijs uerbis idem significantibus dicit: Non ne quinq; passeress ueneunt dipondio? quod uidelicet dipondius duos ualebat asses. Si igitur de sestertijs ualore quifiam quereret, non possemus simpliciter respondere, cum assis ualor uarijs temporibus sit uariatus: semper tamen ualuit duos asses cum semisse. Accursius in codice Iustiniano, tit. de donationibus. l. uerba superflua. ingenue fatetur se nescire quid sit sestertium.

SYCOMORVS, ficus est Aegypti peculiaris. Latinè interpretatur ficus fatua, habet enim ficos nostris non absimiles, insulfas tamen. Eius arboris meminit Iurisconsultus titulo de extraordinarijs crimi. l. saccularij. Si quis, inquit, arborem sycomorum exciderit: nam et haec res uindicatur extra ordinem non leui poena, idcirco quod haec arbores colligant aggeres Niloticos.

S I G I L L U M , est parua statua , quoniam signum pro statua plerunq; accipitur. Ouidius in primo de arte: Siue erit ornatus non ut fuit ante sigillis. Aphricanus de legatis primo.l.cætera. Vel singula sigilla adæquata legari posse . Item Vlpianus titulo de fundo instructo. l. quæsitū.Sigilla, inquit, & statuae affixaे nō continētur. Accursius annulos nescio quos ferreos interpretatur.

S I G N A T O R , ut autor est Pedianus, erat qui testamento aut alijs instrumentis & contractibus nomen suū subscribebat. Sallustius in Catilina: Ex illis testes signatoresq; falsos commodare. Iuuenalis: Signator falso qui se lautum atq; beatum. Vlpianus titu. quemadmodum testamenta aperiātur.l.cum ab initio. Cogat, inquit, signatores conuenire, & signa sua recognoscere.

S I G N I N V S , a, um, à Signia urbe Campaniæ. Vnde pira signina Iuuenali, & uina signina Martiali, & stratura siue opus signinum, quod ut scribit Plinius libro 35. conficitur fractis testis contusis calce addita. Columella libro primo, uelut signinum opus pilis condensatur. operis quoque signini intrita quomodo fiat, Vitruvius libro octauo exponit . Vlpianus in titulo de riuis.l. prima. Si quis, inquit, terrenum riuum signinum facere uelit. ubi pro signino signatum mendose legitur in codicibus antiquioribus . Qui uero non intelligebant quid signinum aut signatum esset, in ciliceum commutarunt. in archetypis tamen Pandectis Florentinorum signinum habetur.

S I L I G I N A R I V S , est custos siliginis, id est, horrei in quo siligo adseruatur . Est autem siligo frumenti quoddam

quoddam genus candidissimi aliquando siligo pro farina purgatissima atque ipsis tritici delitijs accipitur. Plinius libro 18. Siliginem dixerim proprie tritici delitias. Celsus libro secundo: Ex tritico, inquit, firmissima siligo. Vlpia. in titulo de furtis. l. si quis uxori. Si siliginario, inquit, quis dixerit, ut qui nomine eius siliginem petisset. Item Julianus titulo de negotijs gestis. l. ex facto.

S Y N T H E S I S , inter alias significationes designat etiam genus quoddam uestis duplicis, quæ sit alio nomine Abolla. Martia. Synthesibus dum gaudet eques dominusq; senatus. Idem alibi: Sic micat innumeris arcula synthesibus. Scœuola titu. de auro & argento legato. l. titio. Ex synthesis, inquit, tunicas duas & palliola.

S I Q V I S , generis tantum est masculini, quia fœmininū propriam habet terminationem. ea est: si qua. Iurisconsultus tamen de uerborum significatione. l. uerbum si quis. Si quis, inquit, tam masculos quam fœminas complectitur.

S I S T O , sistis, uerbum est aliquando absolutum, pro eo quod est sto stas, ut apud Virgilium primo Geologicorum, Sistunt amnes, terræq; dehiscunt . aliquando actuum, significatq; statuo statuis. Idem quarto Aeneid. Et sistere flumina uidi. & illud ex euangelio: Ut sisteret eum domino. in hac significatione accipitur apud Iurisconsultos iudicio sisti, & iudicatum solui. sisti pro statui & repræsentari ponitur.

S I T V L A , urna est aquæ ex puteo hauriēdæ accomodata. Plautus in amphytrione: Si situlam iam cepero, illi puteo animam omnē traxero. Hiero. quoq; Esaiæ 40.

*Ecce gentes quasi stilla situlae reputatæ sunt. in tit. locati. in l. qui fundum. Rota quoq; per quam aqua trahe=retur, nihilo minus ædificij est quam situla.*

*S I T V S, us, pro squallore siue incultura cuiusque rei, dictus à desinendo, quia ea quæ deseruntur ex negligencia redduntur inculta. Virgilius primo Georgicorū: Et segnem patiere situ durescere campū. Idem in sexto Aeneidos: Per loca senta situ. quod Seruius pro lanugine & squallore exponit, que fit in locis sole carentibus. Vlpia. libro 37. de bonorum posseß. sec. tab. l. j. Vetusta=te, inquit, uel situ putrefactum.*

*S M Y R N A à Græcis appellatur, quam nos myrrhā odoratam dicimus. Lucretius lib. secundo: Cōtentus odor Smyrnæ mellisq; sapores. apud Galenum quoque interpres semper smyrnam uerbum Græcum pro myrrha re=liquit. Apud Martianum titu. de publican. l. interdum. sinura pro smyrna mendose legitur.*

*S O D A L E S, dicuntur qui sunt conuiuiorum parti=cipes. fuit & Romæ collegium sodalium, de quo Cicero in Catone maiore: Primum, inquit, semper habui soda=les: sodalitates autem me Quæstore constitutæ sunt sa=cris Idæis Magnæ matris acceptis, epulabar igitur cum sodalibus omnino modice. huiusmodi autem sodalitates à Græcis phratria dicuntur, de quibus Aristoteles in Poli=ticis. Erantq; plerunq; in honestæ. Gellius libro 19. Ado=lescentem, inquit, Taurus à sodalibus coniectuq; homi=num scænicorum abducere uolens. Caius libro 48. de col=legijs illicitis . Sodales, inquit, sunt, qui eiusdem collegij sunt, quam & Græci phratriam uocant, & hæc uide=tur ex*

tur ex Solonis lege translata esse. nam illicita est eadem.

SOLIDVS, a, um, dicitur quod integrum est, neq; habet inane quicquam, aut parte aliqua fraudatum non est. Hora. primo Carm. Aut partē solidō demere de die. Vlpianus de fideicōs. liber. l. ergo. De solidō, inquit, sic accipere debemus de sorte & de usuris.

SPHÆRISTERIUM, locus est ubi pila luditur: nam sphæra pila interpretatur, & sphæristes qui pila ludit. Sueto. in Vespasiano: Fauces, inquit, cæteraq; membra sibimet ad numerū in sphæristerio defricaret. Plin. in episto. Apodyterio superpositum est sphæristerium. Lampridius in Seuero scribit eum dedisse operam sphæristerio. Vlpia. lib. 17. in titu. mandati. l. si quis mihi. Hypocausta, sphæristerion, & quædā ipsius ualeudini apta sua impensa faceret. Accur. uelut œstro quodā percussus diuinat sphæristerion esse locum amoenum herbis.

SPICA nardi, quæ spica quoq; cilissa uocatur, Græcè dicitur stachys nardi, de qua inter cætera Iurisconsultus meminit in titulo de publicanis. l. interdum. Nardi stachis, inquit, id est, spica nardi.

SPURCAS, præter eam significationem quā habet in promptu, significat etiam uinum aqua diluere: quoniam ut ait Festus Pompeius, spurcum uinum dicebatur, quod erat aqua mixtū. Vlpianus ad legē Aquiliam l. si seruus. Qui uinum, inquit, spurcauit, uel acetū fecit. Sed & aquæ dicuntur spurcari, cū corrūpuntur aliqua re que illas uitiet iniecta. Paulus de extraordinarijs criminibus. l. j. Si aquas, inquit, spurcauerit.

SPURVIS dictus est, qui Græcè dicitur nothus. sic

*appellatus, uel quasi sine patre, uel ab eo quod est Græcè sporon, quod significat pudenda. nam sporos est semen. In primo Institutionum libro, in titulo de nuptijs, mendum est manifestū, spadon, pro eo quod esse debuit sporon. Solent, inquit, filij spurijs appellari à Græca uoce spadon. tu lege sporon.*

*S T A B U L A R I V S, is dicitur qui mercede in tabernam meritoriam uiatores excipit, qui caupones quoque dicuntur. Apulcius in primo de asino. Precio mansionis stabulario persoluto uiam capeſſimus. Idem in eodem, stabulum pro ipso loco diuersorij: Ianitor, inquit, ponē stabuli ostium humi cubitās. Vlpianus titulo de iniurijs, Ad meritoria, inquit, uel stabula non pertinebit. Vlpia. lib. tertio, tit. de ijs qui notantur infamia. l. Athletas, pusta, inquit, si caupo fuit uel stabularius.*

*S T A T I O, onis, aliquando accipitur pro uigilia, ut apud Ouidium primo Metamorphos. Atq; omnes in statione manebant. Modestinus titulo de re militari. l. deser torem. Qui stationis, inquit, munus reliquit. Hinc milites stationarij dicti qui sunt uigilijs deputati. Vlpianus titulo de officio præfecti urbis. l. omnia omnino. Milites, inquit, stationarios habere ad tuendam popularium quietem. Aliquādo statio accipitur pro portu in quem se recipiunt naues, aut ex tempestate, aut negotiandi gratia. Virgilius tertio Aeneidos: Nunc tantum sinus et statio male fida carinis. Idem in quarto Georg. Deprensis olim statio tutissima nautis. Vlpia. titu. de fluminibus. l. ait prætor. Stationem, inquit, dicimus à stando, is igitur locus demonstratur ubi naues stare possunt.*

STEL

**S T E L L I O N A T V S** *crimen, latissime patet, de quo apud Iurisconsultos titulus est, atq; ut semel dicam circa quod genus criminis lex stellionatus ueretur.* Vlpianus breui ostendit, dicens quòd ubicunque crimen nomine caret, illic stellionatum obijcimus. dictus est stellionatus à stellione animali uenefico, atque hominum generi inuidente, quippe qui cum intelligat exuuias multis morbis esse remedio, cum primum illas deponit, illico devorat. Plinius lib. 30. de stellione: Nullum, inquit, animal fraudulentius inuidere homini tradunt. inde stellionum nomen in maledictū translatum, à Græcis dicitur Ascalabotes: Aristoteli Colotes. vulgo persuasum est esse Tarantulam bestiolam in Apulia notam.

**S T Y P T E R I A** Græcè, Latinè interpretatur alumen, quo uerbo utitur sæpe Galenus, uel potius Galeni interpres: dictaq; est stypteria à stypto, quod est astringo, quoniam alumen uim habet astringendi. Vlpianus titulo de rebus eorū qui sub tutela l. sed si. Si lapidicinas, inquit, uel quæ alia metalla pupillus habuerit styptericæ uel cuiuslibet alterius materie.

**S T I P U L O R** stipularis, uerbum frequens est apud Iurisperitos, significatq; promittenti assentire: & ferè ad aliquid sunt promitto, & spondeo, ei quod est stipulor. ut si dixero, promitto tibi centum aureos, tu respondebis, stipulor à te centum aureos. Hinc nascitur contractus stipulationū sponsionumq;. Seruius Sulpitius in libro quem scripsit de dotibus, citaturq; à Gellio libro quarto Noctium Atticarum: Qui uxorem, inquit, duxurus erat, ab eo unde ducenda erat, stipulabatur eam

*in matrimonium ductum ire, qui daturus erat, item sponsus debat ducturum: tum quæ promissa erat, sponsa appellabatur: qui sponsponderat ducturū, sponsus.* Columel. lib. II. Fœnoris, inquit, tui Siluine quod stipulanti sponsponderam tibi. Dicatumq; est stipulari, ut ait Varro de lingua Latina, à stipe, hoc est, pecunia, quoniam qui pecuniam obligat, stipulari dicitur. hinc stipulatus, us. Papin. in titulo soluto matrim. l. post dotem. Non erit impediendus pater, quo minus ex stipulatu agat.

**S T O L A**, uestis erat ad talos demissa, matronarum insigne. Ouidius secundo de tristibus: Quas stola contingit, et stola sumpta decet. Vlpianus de auro et argento legato. l. uestis. Muliebria, inquit, sunt, veluti stola, pallia, tunicae.

**S T R A G U L U S**, a, um, est quod sterni solet aut lecto, aut strato, aut equo, aut iumento, ut melius iaceas siue sedreas. Hinc uestis stragula, ephippiū stragulū, et stragulum substantiue. Varro de lingua Latina: Quicquid lecto sternebant, à sternendo stragulum, appellabant. Apuleius libro quarto de asino: Vestem stragulam subiectam iactare consuerat. Plinius libro septimo: Frenos et stragula equorum peletronium inuenisse ferunt. Vlpianus titulo de uerborum significatione. l. instratum. Instratum, inquit, omne uestimentum contineri quod iniiciatur, Labeo ait, neque enim dubium est, quin stragula uestis sit omne pallium. In uictu ergo uestem accipiemus non stragulam, instratum omnem stragulam uestem.

**S T R A M E N T A**, dicuntur calami frumentacei spicis demissis, dicta à stando, siue à sternendo. Varro primo de re

*de re rustica: Cum comprehendit, inquit, fascem spicarū desecat, & stramenta stantia in segete relinquunt. & paucò post: Alij stramentum à stando dictum putant, quasi stamen, alij à stratu, quod substernatur pecori. Calami igitur qui lecto insternuntur stramenta appellantur. Vlpianus lib. 19. titulo de actionibus empti. l. fundi. Fundo, inquit, uendito uel legato sterquilinium & stramenta emptoris & legatarij sunt.*

**S T R O B Y L V S**, dicitur tum arbor ferens nuces pineas, tum ipse nuces pineae. Plinius lib. 15. de pini generibus: Easdem, inquit, arbores esse per oram Italiae, quas strobylos vocant. Galen. lib. 2. alimentorum. cap. de pineis nucleis. Vocant, inquit, ipsos qui nunc Græci, non conoa, sed strobylos. Idē in 7. decameridon: *Quos omnes, inquit, Græci nominant strobylos, antiquitus ab Atticis dicebantur coni.* Vlpi. titu. de legatis tertio. l. ligni appellatione. De pinu, inquit, integri strobyli. Idem titulo de uerborum signific. l. carbonum. superiora uerba repetit.

**S V B D I S I V N C T I V A** coniunctio à grammaticis sic definitur, quæ uoce disiunctiua utrung; adesse significat uel simul, uel discrete. ut Alexander, siue Paris: nam qui prius uocabatur Alexander Priami filius, postea cognominatus est Paris, dormit uel disputat, nam potest neutrū facere. Sed de particula subdisiunctiua, quanquam ad grammaticum pertineat differere, copiosissime disputauit Proculus Iurisconsultus in titulo de uerborum significatione. l. hæc uerba &c.

**S V B G R V N D A E**, sunt tegulæ propendentes extra tectum domus ad parietum defensionē, ne imbris cor-

rumpantur. Varro lib. 3. de re rust. Aues subtus subgrundas, inquit, ab initio uillatico usas tecto. Vitru. li. 10. Pinnas, inquit, ex tabulis & superne subgrundas proclinatas. Iabolenus de uerb. signi. l. malum nauis. Inter proiectum, inquit, & immissum hoc interesse Labeo ait, quod proiectū esset id quod ita proueheretur, ut nusquam requiesceret, qualia meniana & subgrundaria essent. id est, tecti partes impendentes ad parietum munitionem. Plinius tamen subgrundas accipit pro tegulis inferioribus: nam in tectorum structura duo sunt ordines tegularum, alter supernarum, alter infernarum. Scribens namq; libro 25. de duobus Sedi generibus, hoc est, maiori & minori: dicit minorem appellari hypostegon. & subdit causam cur sic appelletur, quoniā in subgrundis ferè nascitur, hoc est in tegulis inferioribus: id qd' uulgo uidemus in tectis nasci.

S V B S E L L I V M, est sella inferior. Varro de lingua Latina: A` sedendo, inquit, sella & selliquastrum, deinde ab his subsellium ut suscipere quod non planè sapit, sic subsellium dictum quod nō planè erat sella. Iuuenalis: Sed cum fregit subsellia uersu. Florentinus de supellectili legat. l. supellectili. Trapezophora, delphica, subsellia. Item de acquirendo rerum dominio. l. ideo.

S V B S I S T O, pro eo quod est hæreo siue dubito: nam qui incedens subsistit, uidetur de aliqua re delibera= re quid agat, ut de Aenea Virg. 1. Aeneid. dixit: Subsistit hic, arcumq; manu celeresq; sagittas Corripuit. Callistra tus lib. 50. titu. de iure immunitatis. l. semper. Subsistit, in= quit, potest an prohibendi sint à præside. Item Vlp. lib. 3. titulo de procuratoribus. l. seruum. Quantum, inquit, ad filium

filium familiâs uerum est, in seruo uero subsistimus. Hic serie uerborum coactus Accursius, non potuit nisi uerè interpretari, exponens pro eo quod est dubito.

S V B S T R V E R E , est ædificium à fundamentis deficiens fulcire. Hinc substructio dicta parietis fultura. Vitruvius lib. 1. Non solum in muro, sed etiam in substructionibus. Columella lib. 1. Pro fultura, inquit, & substructione fungetur. Vlpia. lib. 43. titu. de riuis. l. 1. Verbo, inquit, reficiendi, tegere, substruere, sarcire continentur.

S V C C I N V M , gemma est ex gummi arboris gressariæ congelata, quam diximus à Græcis appellari electrū. Iuue. In cuius manibus ceu pingua succina tritas Cernis ephemeras. Mart. Inclusit tenuem succina gēma feram. Plin. de succino déq; medicamentis ex eo multa lib. 37.

S V G G I L L O , as, pro eo quod est contundo, is. Unde suggillata dicuntur membra quæ sunt contusa, unde liuores suboriuntur. Plin. lib. 30. Liuentia, inquit, & suggillata pulmones arietum sanant. Idem libro 20. Suggillata & alios liuores legat. Suggillatum, ut inquit Festus, dicitur ex Græco, quod ea pars quæ sub oculis est, ab eis dicitur hipopion. Sed aliquando reperitur suggillo pro eo quod est derideo, propterea quod qui ex contusione liuores contraxerunt, derideri solent. Vlpianus lib. 47. titu. de iniurijs. l. item apud Labeonē. Si quis, inquit, non ad suggillationem domini iniuriam seruo fecit.

S V P E L L E C T I L I S appellatione, quæ res continetur, ex titulo qui est libro 32. digest. de supellecili legata facile possumus intelligere. Quanquam enim supellex uideatur dici de stragulo tantum, siue lodice, ab eo

quod super lectum imponatur, etiā ad alia domus utensilia eius significatio se extendit, imò & ad alias res quae sunt aut possunt alicui ornamento esse. Persius: Tecum habita, & noris quam sit tibi curta supellex.

SUPERFICIES, in ædificijs dicitur domus quæ in alieno solo siue area ædificata est. Itaque fieri potest, ut eiusdem domus duo sint domini. Alter domus superficiariæ: alter soli. Vnde pulchre Seneca libro tredecimo epistolarum translatione sumpta ex modo loquendi Iurisconsultorum: Philosophia, inquit, nihil aliunde petit, totum opus à solo excitat. Mathematica, ut ita dicam, superficiaria est, in alieno ædificat, accipit prima quorum beneficio ad ulteriora peruenit. Paulus titulo de damno infecto l. damni. Et qui in conducto solo, inquit, superficiem posuit. Item Iabolenus titu. de usus capionibus l. eum qui. Cum ædes, inquit, duabus rebus constent, solo & superficie. Julianus quoque de legatis primo l. si fundum. Appellatione, inquit, ædificij, aut superficiem significat, aut solum. Caius item titulo de superficiebus. Superficierias, inquit, ædes appellamus, quæ in conducto solo constitutæ sunt. Dominus uero domus, superficiarius dicitur: ut in titulo de damno infecto. & sape alias.

## T

**T**ANTISPER quod significat per tantum spatiū, siue per tantum tempus, ut inquit Valla, semper ferè desiderat iungi huic particulæ dum, pro donec. Terentius in Heautontu. Ego te meum esse dici tantisper uolo, dum quod te dignū est facias. & paulò post:

Decrui

Decreui tantisper me minus iniuriæ meo gnato facere, dum siam miser. Liuius lib. j. Tantisper dum prisca illæ tota mente repeto. Gellius lib. 5. loco dum, æquivalens posuit quoad: Tantisper, inquit, quoad fieret permutatio. Vlpianus titu. de tutelis. l. qui tutorem. Dum magis etati quam dementi tantisper sit consulendum.

TECTORIVM, opus est quod calce aut gypso incrassatum est, ex tectorium substantiæ pro ipsa calce siue gypso quod superinducitur. Varro libro 3. de re rustica: Cum uillam, inquit, haberet opere tectorio spectandam. Gellius libro 12. Villas inexcultas ex rudes nec tectorio quidem prælitas esse dicit. Per translationem quoque de fœmina cerusata dixit Iuuenalis: Tandem aperit uultum ex tectoria prima reponit. Vlpianus titulo de damno infecto. l. ex damni. Ob tectoria, inquit, ex picturas. Item Proculus titulo de seruitutibus prædiorum urbanorum. l. quidam. Si parietem demolitus sit uicinus, non pluris quam uulgaria tectoria estimari debet. In alia tamen significatione uidetur accipere Paulus in titulo, uti possidetis. l. si duo. Si uicinus, inquit, meus in pariete meo tectoria habeat ex in pariete suo.

TELVM, largo quodam modo quicquid nocere potest appellatur. Nam ex apud Virgilium atque alios autores aliquando pro ense etiam accipitur. Iustinianus tamen libro 4. Institu. titulo de publicis iudicijs. Telum, inquit, ut Caius noster ex interpretatione legum duodecim tabularum scriptum reliquit, uulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur. sed ex omne significat quod manu cuiusque iacit. dictum ab eo quod in longum

*mittitur, à Græca uoce figuratum, teloten enim à longe significat. quæ uerba Caij iterum ponuntur in titulo de uerborum significatione. lege, si calumnietur.*

**T E M P O R A R I A** res, dicitur quæ ita extruitur ut ad certum quoddam tempus duret, & nō in perpetuum. Plinius libro octavo : Temporario, inquit, euripo ostendit. Idem libro trigesimosexto: Theatri, inquit, temporarij, & uix uno mense futuri. Seneca libro nono epistolarum: Hæ sunt, inquit, amicitiæ quas temporarias populus appellat. Paulus titulo quibus ex causis. l. ad cognitio- nem. Exilio, inquit, temporario. Papinianus titulo de pœnis. l. seruus. Cum seruus per errorem in opus tempo- rarium fuisset datus, expleto tempore domino seruum es- se reddendum respondi.

**T E P I D A R I V M**, locus erat in balneo tepidior, quemadmodum calidarium, calidior. Celsus lib. i. Tunc, inquit, in calidarium transire, ubi tepidario paululum insudauit. Idem in eodem : Si est balneum ante omnia in tepidario residere. Vitruvius lib. 5. Sudationes, inquit, que sunt coniungendæ tepidario. Paulus in titulo de seruituti- bus præd. urban. l. fistulam. Si talis, inquit, sit usus tepida- rij, ut assiduum humorem habeat, & id noceat uicino.

**T E S S E R A** tum pro symbolo, hoc est belli signo ac- cipitur. Virg. 7. Aeneid. It bello tessera signum. tum pro talis, ut uulgò accipiuntur, nam talus aliud est. Martialis: Hæc mihi bissero numeratur tessera puncto. tum pro fru- menti quadam mensura, de qua Seruius in illud Virg. 1. Georg. Numeros impressit aceruis. tesseras interpreta- tur, quibus frumento numerus designatur. Iuuenalis: Sum- mula

mula ne pereat, qua uilis tessera uenit Frumenti. Sueto. in August. Ne plebs frumentationum causa frequentius à negotijs auocaretur, ter in annum quaternorum mensium tesseras dare destinauit. Hinc Persius per diminutionem fecit tesserula. Scabiosum, inquit, tesserula far pos sidet. Iustin. lib. 11. codicis, titu. de frumento Alexandrino. Idiurnos. Tesseræ, inquit, designentur. Paulus de legatis secundo. l. mortuo. Si Titio tessera frumentaria legata sit. Vlpianus lib. 5. de iudicijs. l. sed & si. Si libertis, inquit, suis tesseras frumentarias emi uoluerit.

THE R I A C A , non tyriaca, ut libri medicorum corruptè habent, antidotum est notissimum contra uenena. de cuius compositione duo extant Galeni opera, alterum ad Cæsarem, alterum ad Pamphilium, dicta theriaca, à ther, quod est fera, hoc est uipera. Plinius libro uicesimo nono. Fiunt, inquit, ex uipera pastilli qui theriaci uocantur à Græcis. Hieronymus in Iouinianum, libro secundo: Viperæ, inquit, carnes unde theriaca conficitur, quantis rebus aptæ sunt, norunt medici. De fundo instructo. l. quæsitum. Theriacam, inquit, & cætera medicamenta. non tyriacam.

TH Y M E L I C V S , interpretatur histrio. quoniam thymele, es, est pulpitum siue scæna. Apuleius pro magia. Si choragium, inquit, thymelicum, num argumentarere uti etiam me Gragidij syrmate histrionis? Augustinus, lib. 5. de ciuitate dei: Quæ sunt, inquit, illa sacra, quibus agendis tales elegit sanctitas, quales nec thymelica in se admittit obscœnitas. Vitru. lib. 5. Ex eo, inquit, scænici & thymelici separatim nominantur. Vlpianus libro tertio,

titulo de ijs qui notantur infamia.l.athletas. Neque thy-  
melici,inquit,qui certaminibus sacris deseruiunt,ignomi-  
niosi habeantur. Item de consecra.dist.5.cap. non opor-  
tet.Sed utrobiq; themelici corruptè legitur.

THLASIAE , siue thlibiae, quod idem est, Latine di-  
eti qui habent testiculos attritos , appellati sic à thlae,  
quod est frango, siue thlibo quod idem significat. Vlpis.  
titulo de uerborum significatione. l. spadonum. Thlibie,  
inquit, & thlasiae, sed & si quod & aliud genus spado-  
num est. Item Paulus ad legem Corneliam de sicarijs. l. si  
quoq;. Ii,inquit, qui thlibias faciunt , ex constitutione di-  
ui Hadriani in ea sunt causa,qua ij qui castrant. Utrobiq;  
mendosi sunt codices recentiores. Accursius tota errat  
uia, nunc dicens esse ferramentum castratorium , nunc  
uenas quæ inciduntur, nunc id quod uerissimum est , ne-  
scire se , quid thlasia aut thlibia sit, cum sit non castra-  
tus siue exectus, sed qui ut diximus , attritos habet testi-  
culos , de quo dominus per Mosen scribit in Deuterono-  
mio, capite uigesimo tertio: Non intrabit eunuchus attri-  
tis uel amputatis testiculis, & abscisso ueretro ecclesiam  
domini.

TYBERIVS Cæsar, Liuij Drusi ex Liuia Drusilla  
filius , Augusti deinde priuignus . ab illo ea lege est ad-  
optatus , ut ipse Germanicum Drusi Neronis fratri sui  
filium adoptaret. Ex Suetonio in uita Augusti , Tyberij,  
& Caij Cæsarum.Iustinia. lib.1.ti.de adoptionib. Augu-  
stus, inquit, non antè Tyberium adoptauit, quām is Ger-  
manicum adoptauerit, ut protinus adoptione facta inci-  
piat Germanicus Augusti nepos esse. Accurs. Imperator,  
inquit,

inquit, uolebat adoptare quēdam nomine Germanicum, & Germanicus nolebat consentire. Vnde Augustus calide suā sit cuidam nominie Tyberio, ut illum Germanicum adoptaret, quod fecit. Quis talia historiarum portenta fingeret, nisi Accursius, aut Accursij admiratores? De Tyberio uero tanquam de persona ignota & obscura dixit cuidam Tyberio cum successerit Augusto in imperio. Quòd si historias seculares nunquam legit, nunquam' ne audiuit illud ex Euange. Lucæ 3. Anno decimo quinto Tyberij cæsaris &c.

T Y M P A N I V M, margaritarum genus est, ex altera parte sphæricum, atq; ex altera planum. quasi in tympani effigiem formatum. Plin. lib. 9. ubi de margaritis & unionibus: Quibus, inquit, una tantum facies est & ab ea rotunditas, auersis planicies, tympania nominantur. De auro & argen. leg. l. pediculis. Cum quædam, inquit, ornamenta mamillarum ex cylindris triginta quatuor & tympanijs & margaritis detraxisset.

T Y R V S, colonia Syriæ Phœnices, insula quondam, sed ab Alexandro in continentem translata, unde Luca. in 3. Et Tyros instabilis, præciosaq; murice Sidon. Tyrorum coloniæ meminit iuriscons. in ti. de censib.

T O G A prætexta, dicebatur apud Romanos, qua utebantur pueri usq; in annum octauumdecimum. tūc enim sumebant togam uirilem, quæ & libera dicebatur. Seneca in epist. Tenes memoria cum prætexta posita sumpsi sti uirilem togam. Pueri quoq; in ea ætate, prætextati appellabātur. Iuue. Et prætextatus adulter. Hinc Fest. Pompe. ait: Prætextatis nefas erat obſcenō uerbo uti, ideoq;

*prætextatum appellabant sermonem, qui nihil obscenitatis habebat. Vlp. de auro & arg. leg. l. uestis. Puerilia autem sunt, ueluti togæ, prætextæ, aliculæ, chlamydes, & pallia, quæ filijs nostris comparamus. Præterea uero appellata est, quoniam purpura uesti intertexebatur.*

**T O M E N T U M**, est quicquid puluillo aut culcitra infercitur, siue illud sit lana, siue pluma, siue strametum, siue carices & iunci concisi, quod tomentum circense appellatur, id est vulgare, triuiale, & pauperibus commune, dictum à circo Romano, ubi huiusmodi tomenta uenabantur. Martial. Tomentum concisa palus circense uocatur. concisam appellat paludem, carices & iuncos, qui ad tomentum concidebantur, quod à temo, quod est incido, dicitur, non ut indocti putant, ab eo quod tum eat. Seneca de uita beata: Si super circense tomentū per fascias ueteris linthei effluens incubabo. Suet. in Tyberio: Druſo, inquit, adeò alimenta subducta, ut cogeretur è culcitra tomentum mandere. Varro quoq; de ling. lat. Quod in culcitra tomentum aliud ue quid calcabant, ab inculcando culcitra dicta. Vlp. de leg. 3. l. si cui lana. Lanæ, inquit, appellatione tomentum non continebitur. Expone tu, id est lana quæ culcitra inculcata est, nam ea poterat in dubitationē uenire. Quod uero Accursius putat genus esse uestis, uel coopertorium de lana factum, quis non iure posſit ridere? Nam ut in eadem lege habetur, si lanæ appellatio eatenus extēditur, quo ad telam peruererit, hoc est ut idem Accursius interpretatur, ut solum restet texere, nondum tamen est in tela posita. quomodo uestis siue coopertorium ex lana factum, debet lanæ appellatione

tione contineri? Quid quod Paulus in eodem titulo expresse dicit: *Lana legata uestem quæ ex ea facta sit debet non placet.*

**T O P I A R I V S,** est operis topiarij artifex. Opus vero topiarium dicitur, quod in uiridarijs topiarij faciunt, exprimentes uarias figuras animalium aliarumq; rerum ex myrto, citro, buxo, hædera, alijsq; arbusculis, fruticibus, & herbis, quarum natura flexibilis est. Plinius li. 15. Satuarum, inquit, myrtorū genera topiarij faciunt. Idem libro 12. ficum Indicam ad opus topiarium dicit pertinere. Et libro 21. de chamaedaphne. Topiaria, inquit, herba inopiam florū aliquando supplet. Idem libro 22. acathon herbam appellat topiariam, quia topiario operi accommodari potest. Cicero ad Quintū fratrem: Topiarium laudaui, ita omnia conuestiuit hædera. Atque ibidem: Ut deniq; illi palleati topiariam facere uideantur. Vlpianus tit. de fundo instruct. l. instrumenta. Si uiridaria, inquit, sunt topiaria, accedunt instrumento fundi. Et in eodem tit. l. quæsitum. Hostiarij, inquit, uel topiarij, & diætarij. Aphricanus tit. de legatis tertio. l. cum quererentur. prædijs legatis, & quæ eorum prædiorū causa empta essent, neq; topiarium, neq; saltuarium legatum uideri ait: topiarium enim ornandi, saltuarium autem tuendi & cunctodiendi fundi, magis quam colendi causa paratum uideri. Accursius cuiusmodi ornatus esset topiarij, nesciuit, cum dicit illius officium esse, purgare agrum spinis & uepribus, & facere fossas. Imò uero eiusmodi serui legato cederentur, cū necessariò ager purgari debeat spinis, & fossæ atq; elices deducēdæ sint, atq; ad culturā pertineat.

**T O R A L**, *mappa est que toro*, id est mensæ impo= nitur. Varro de lingua latina: *Toral, inquit, quod ante torum.* Hora. i. epist. *Ne turpe toral, ne sordida mappa.* Florentinus de supellectili lega. l. de tapetis. *Sicut tora= lia, inquit, que stragulorum non sunt.* In eodem titu. l. su= pellectili, ut diximus in uerbo *mappa*, *oralia pro toralia legitur.*

**T R A I A N O P O L I S**, ciuitas Siciliæ, à Traiano Cæ sare cognominata, ut ex uerbis iurisconsulti colligimus in titulo de censibus. In Sicilia, inquit, Selinis & Traianopolis. Sed cum Traianopolis nusquam in Sicilia lega= tur, atq; ediuerso Traianopolis oppidum sit Misia maio ris, atque alterum eiusdem nominis in Piceno Italiæ, in= terpungenda sunt legis uerba, aut Selinis sit in Sicilia, & Traianopolis altera ex illis duabus.

**T R A I E C T I C I A** pecunia, dicitur ut Modestinus lib. 22. tit. de nautico fœnore scribit, que trans mare uehi tur. & ibidem saepe. Aphricanus quoque in tit. de actio= nibus & obliga. l. *traiecticiæ pecuniæ.* Item codice de ue= teri iure enucle. l. tanta. Dicta est autē *traiecticia*, à *traij= ciendo*, hoc est *transmittendo*. unde est frequenter apud historicos, *trajcere mōtem*, & *trajcere mare*, & *trajcere flumen*, & *trajcere exercitum*, *trajcere merces*, *trajcere pecunias*. Atque utrumq; simul *trajcere exer= citum, mare, flumen*. Quare *traiecticiæ pecuniæ nomine ueniet ea que permutatur*, & *transuehitur ultra mon= tes & maria.*

**T R A P E T U M**, siue *trapetus*, ut inquit Seruius in illud Vir. 2. Geor. *Venit hyems, teritur sicyonia bacca trapetis.*

trapetis. olearia mola est. Martial. Nec tartessiacis cedat tua sylua trapetis. dictum à tero, is, ut Var. de ling. lati. tradit, uel, ut alij, à trepo quod est uerto, quia molæ oleariæ uertuntur: uel à trepo, quod est premo, ad priorē etymologiam allusit Vir. cum dixit, teritur sicyonia bacca trapetis. ad alteram, uel potius ad utrancq;. Plin. libro 15. Mox, inquit, trapetis fractæ oliuæ premerentur. Vlpianus titulo locati & conducti. l. sed ades. Trapeta, inquit, instructa funibus. Accursius instrumentum tantum esse dicit, sed non cuiusmodi, aut ad quos usus. Quod uero in ti. de supellecili leg. l. de trapetis. bis scriptum est trape tum, expuncta r, litera, tapetum est legendum, quod nemo dubitat in genere stragulorum esse.

TRAPEZOPHORVM, theca erat in qua preciosiores mensæ deferebantur: nam trapeza interpretatur mensa, & phoreo uel phoresco, quod est fero. Florentinus de supellecili legata. l. supellecili. Trapezophora, inquit, delphica & subsellia. Cicero tamen ad Fabiū Gelium pro statua siue signo quod ferebat mensam posuit. Trapezophoron, inquit, si te delectat, habebit.

TRIERARCHVS, interpretatur nauis princeps, nam trieris est nauis habens triplicem ordinem remorum, quæ triremis dicitur. Hierony. Ezechielis capite 3º. Egredientur nuncij à facie mea in trieribus. Ad senatus consultum Trebellianum. l. eius. Fiduciarium, inquit, reliquit hæredem trierarchum. Item de bono. possēt. l. j. Nauarchos, inquit, & trierarchos classium.

TRIETERICVS, a, um, est illud quod tertio quoq; anno cōtingit, à tria quòd est tres, & etos annus. Vir. 4.

Aene.

Aeneid. Referunt trieterica Bacchi Orgia. Oui. 2. de rea  
med. Ibat ut ædonio referēs trieterica Baccho. Apuleius  
pro magia: Crotalum, inquit, ad trieterica Orgia. Mo=  
destinus lib. 50. dig. titu. de pollicitationi. l. septicia. Ago=  
nem, inquit, constituo trietericum.

**T R I N I**, æ, a, nomen est distributuum, quale illud  
bini, & quini, & deni, significatq; cuilibet competere  
tria. Iungiturq; ut alia eiusmodi nomina nominibus plu=  
raliter declinatis. **Martialis**: Transferint binæ forsitan tri=  
næ ue calendæ. **Silius** li. 15. **Punicorum**: Qui sua nunc tri=  
nis deducunt agmina castris. **Martianus** li. 50. de legatio.  
l. sciendum. Præcipitur, inquit, edicto Vespasiani omni=  
bus ciuitatibus, ne plures quam trinos legatos mittant.  
**Accursius** in erroribus pertinax est, nam qui binos expo=  
suit pro quatuor, quinos pro decem, denos pro uiginti,  
hoc in loco trinos pro sex exponit, cum exponendum fue=  
rit trinos, id est quælibet ciuitas tres. Sed quæro iam, non  
ab illo, sed ab illius amatoribus, an recte dictū sit, quod  
omnes ciuitates non amplius mittere debeant, quam sex  
legatos: significaretur nanq; quod omnes ciuitates simul  
sumptæ non amplius essent missuræ quam sex legatos,  
quod est perquam ridiculum.

**T R I P H V S**, potest interpretari delicatus: nam try=  
phe, es, est delicium, & tryphao deliciar. **Vlpia**. titulo de  
ædilitio edicto. l. idem Offilius. **Balbus**, inquit, & blesus  
& tryphus, isq; qui tardius loquitur. Vbi tryphum pro  
traulo hoc est blefo posuit, & qui quodammodo ex de=  
licijs sic loquitur. **Quintilianus** libro primo: Illorum de=  
licias reprehendi, qui, s, literam male proferunt.

T R O

**T R O C H L E A**, instrumentū est cum orbiculis ad eleuanda & deprimenda onera. Cato de re rusti. Trochleas Græcanicas binis funibus sparteis. Vitru.lib.10.cap.2.& 3. de trochlcis multa, dicta à trecho, quod est curro. Vlpianus titulo locati. lege, sed addes. Tympanum, inquit, et trochleas quibus eleuatur prælum.

**T R O Z I M O S**, Grece, maturus siue comestibilis interpretatur. Vnde uua quæ esui adseruatur & quæ non est apta uino, trozimos à iuris consulto appellatur in titu. de uerb. signi. l. qui fundum. Qui fundum, inquit, uenidit, pomum excepit, nuces, ficos & uuas duntaxat duracinas, & purpureas, & quæ eiusdem generis essent, quas non uini causa haberemus, quas Græci trozimus appellant, excepta uideri.

**T R U L L A**, uas est quo è culina in lauatrinā aquam fundunt atq; ad alia ciusmodi ministeria comparatū. Hor. 2. Ser. pro uase potorio uiliori posuit, dicens: Qui ventanum festis potare diebus Campana solitus trulla. Iuuenal. Si trulla inuerso crepitum dedit aurea fundo. Pomponius de auro & arg. leg. l. & si. Veluti paropsidas, inquit, tabulas, trullas. Paulus de fundo instructo. l. taberne. Trullæ, inquit, quæ circa cœnam solent traijci.

**T U B U S**, bi, siue sit fictilis, siue ex alia materia, est fistula per quam aqua deducitur, imò uero aqueductus ipse tubulis pyxidatis constat. Hispani aranoras appellant. Columella lib. 1. Aqua, inquit, sic habetur eximia, si fictilibus tubis in coniectam cisternam deducitur. Plinius li. 31. Aquam è fonte duci fictilibus tubis utilissimum est. Seneca lib. 14. epist. Suspensuras balneorum & impressos

presso parietibus tubos. Vlpia. tit. de cloacis. l. j. Cloacæ appellatione & tubus & fistulæ continentur. Et per diminutionem tubulus in eadem significatione. Plinius libro 33. pro cuniculo subterraneo posuit. Hi colores, inquit, in eisdem tubulis inueniuntur. Proculus in titulo de seruitutibus urbanorum prædiorum. l. quidam. Non licet, inquit, tubulos habere admotos ad parietem communem. Hic Accursius tribulos pro tubulis legit, interpretaturq; esse uasa lapidea, in superiori lege tubum putat esse foramen cloacæ.

## V

**V**A DIMONIUM accipitur pro ea spōsione quæ datur in causa grauiori, puta criminali: dictum uadimonium à uadibus, hoc est sponsoribus, quos qui dede- rit in iudicio, uadere, id est decedere potest quocunq; li- buerit. Autores sunt Acron & Porphyron in illud Horat. in primo Ser. Ille datis uadibus qui rure extractus in urbem est. Iuuenal. Differt uadimonia prætor. Et Plinius in proœmio naturalis historiæ: Propter quod, inquit, ua- dimonium differri posset.

**V**ALESII, apud antiquiores dicebantur qui postea s litera (ut in plerisq; alijs) in r literam mutata, Valerij sunt appellati. Fuit autem Valeriorum familia Romæ di- eta à Valesio uiro præclaro, nec minus locuplete, in gen- te Sabina, qui postea Manius Valerius Terentinus co- gnominatus est, à Terento loco quodam Diti patri sa- cro, Romæ in campo Martio, in quo aram illi dicatam ab antiquis primus omnium monstrauit Quintilianus libro

libro primo: Ut Valesij, inquit, & Fusij, in Valerios, & Furios uenerunt, ita arbos ætatis fuit. Idem quoque Festus Pompeius scribit in dictione Aurelia familia. Ponponius in titulo de origine iuris.l.necessarium. autor est, Appium Claudium cæcum fuisse autorem, ut in illis non minibus s, litera in r, transiret . Appius, inquit, Claudius inuenit, ut pro Valesijs Valerij, & pro Furijs Fusij essent. Hinc est in libro Institutionum titulus de lege Fufia canina.pro eo quod est Furia canina.

V A L E T V D O , & ualestinarius, & nunquam ualitudo & ualitudinarius legendum est in libro digesto. quoniam sic scriptum esse animaduertit Ludouicus Bonogninus in Pandectis Florentinis, atque apud antiquos haec nomina sic proferebantur.

V A R V S , uaricus, & uaricosus, quid significant, non est in promptu. Est autem uarus qui habet crura obtorta, pedesq; introrsus figens : quemadmodum ediuerso dicuntur uaciæ qui extrorsum crura habent, idemq; Vatinij, & Vacieni. Plinius: Hinc, inquit, cognomina inuenta, Planci, Pansæ, Scauri. sicut à cruribus Vari, Vaciae, & Vacieni, & Vatinij. Horatius primo Sermonum : Hunc, inquit, Varum distortis cruribus. Et Persius per translationem : Vel cum fallit pede regula Varo. Inde uaricus, pro eo qui ex distorsione pedum inæqualiter ambulat. Ouidius in tertio de arte: Ingentes uarica fertq; gradus. Vlpianus titu.de ædilitio edicto.l. Offilius. Varus, inquit, & Varicus an sanus sit & opinor sanos esse. Accursius nomina esse dicit illorum qui non possunt recte pronunciare. Varicosus qui à tumentibus & intortis uaricibus

N

dicitur, uitium est longe diuersum. Iuuenalis : Varicosus fiat aruspex. ex Persius : Dixeris hæc inter uaricosos centuriones. Vlpianus in eodem titulo: Varicosus, inquit, sanus non est. Neque est qui ut insipiens modo hoc, modo illuc uadit, quod Accursius somniat : sed, ut diximus, qui ex nimio labore uenas habet crurū intortas et conglobatas, quas Hippocrates appellat cirsas, Aristoteles ixias.

VENALICIARIUS, est seruorum mango. Quintilianus : Adolescentem, inquit, apud uenaliciarium repertum. Et iterum : Dedit libertus pecuniam uenaliciario. Idem et uenalicij dicuntur. Cicero in oratore ad Brutum: Aphricanos, et Lælios multi uenaliciarij mercatoresq; superarunt. Caius titulo de ædilitio edicto. l. iustissime. Venaliciarij, inquit, ita societatem coœunt, ut quicquid agunt et c. Vlpianus quoque: Quia uenaliciarij, inquit, sciunt decurri ad nouitorum emptionem. Item Aphricanus de uerborum significatione. l. mercis appellatione. Mella mangones non mercatores, sed uenaliciarios appellari ait.

VENEFICVS, non simpliciter est qui uenenum necandi alterius gratia porrigit, sed quia adhibitis incantationibus quibusdam utitur, qui et maleficus dicitur. Ouidius septimo Metamorphos. de Medea: Validosq; uenefica succos Mergit in ære cauo. Lucanus in septimo: Pollutas cantu diroq; uenefica succo. Hinc apud Jurisconsultos titulus est de ueneficis et sicarijs. Idem et uenenarius dicitur. Iulius Firmicus libro secundo: Si Mars Mercurium de diametro aut de quadrato respexit, faciet uenenarios et maleficos. Callist. titulo de poenis.

pœnis.l.capitalium. Venenarij, inquit, capite punie=di sunt.

V E R S I C O L O R uestis, inquit Valla, non tam illa dicitur quæ colorem natuum mutauit, puta in rubrum, pallidum, aut nigrum, quam illa quæ uarium habet colorem. Gellius libro sexto: Tunica, inquit, longa muliebri indutus & uersicolori pallio. Cicero tertio de finibus: Plumæ, inquit, uersicolores columbis. Plinius lib. 35. Capita earum mitris uersicoloribus operuit. Vlpianus de legatis tertio. l. si cui lana. De uersicoloribus, inquit, uiden= dum est. Paulus de auro & argento legato. l. pediculis. Vestem, inquit, tam coloriam quam uersicoloriam.

V E S P I L O N E S, & ueſpæ, ut inquit Festus, dicuntur qui funerandis corporibus officium gerunt, non à minutis illis uolucribus, sed quia ueſpertino tempore eos effrunt, qui funebri pompa propter inopiam nequeunt. Suetonius in Domitiano: Cadauer, inquit, eius populari ſandapila per ueſpilones exportatum. Apuleius libro Floridorum quarto: Vespilonum manibus extortum uelut ab inferis postliminio domum retulit. Martialis: Chirurgus fuerat, nunc est ueſpilo Diolus. Martianus in titulo de solutionibus. l. qui decem. Num ergo & si ueſpilonem aut alijs turpem dederit hominem. pro quo mendose legitur ueſpertilionem. Item Vlpianus titulo ad Senatusconsultum Trebellianum. l. sed sciendum. Vel non men quidem ueſpilonis testatoris ferre. Hic Accursius non minus insanit, quam in superiori lege fecerat. Nam utробique ueſpilonem intelligendum ait esse nomen infamiae, ut si cognominaretur carnifex: ut apud Mart. Postquam

*triste caput fastidia uespilonum, Et miseri meruit tædia carnificis.*

**V E S T I A R I V M**, pro loco ubi reponuntur uestes, ut apud Plinium libro decimoquinto: *Vestiarium, inquit, contra teredines ac noxia animalia amurca aspergi*. Alias uestiarium pro ipsis uestibus, sicut ministerium pro ministris, cibaria pro cibis. Seneca libro de uitæ tranquillitate: *Familia uestiarium petit uictumq; Scæuola, titulo de annuis legatis l. annua. Ac per hoc, inquit, neque uestiaria, neque cibaria his debeantur. Iabolenus titulo solo matrimonio l. in his. Seruis, inquit, uxoris uir numeros in uestiarium dederat.*

**V E T E R A T O R**, seruus is dicitur qui diu seruiuit, & qui ex uetustate callidus est, quemadmodum ediuerso nouitius, qui nouus est in seruitio. Festus: *Veteratores, inquit, callidi dicti à multa rerum gerendarum uetustate. Donatus in illud Terentij in Andria: Quidnam hic uult ueterator sibi. Veterator, inquit, est uetus in astutia. Vlpianus titulo de ædilitio edicto. l. præcipiunt. Præcipiunt, inquit, ædiles, ne ueterator pro nouitio ueneat. Atque ibidem: Quia uenaliciarij sciunt facile decurri ad nouitorum emptionem, idcirco interpolant ueteratores.*

**V E T E R I N A R I V S**, est ueterinarum medicus. Est autem ueterina iumentum, uel à uehendo dictum, ut putauit Cato, referente Festo Pompeio, uel ut Opilius, ueterinam dici uoluit, quasi uterinam, quod ad uentrē onus religatum gerat: inde ueterinaria, medicatiua iumentorum ars. Columella libro octavo: *Veterinariæ medicinæ prudens esse debet pecoris magister. Callistratus titulo de iure*

de iure immunitatis. l. quibusdam. Accursius: Qui fodunt, inquit, aurum & argentum, aut qui faciunt ultra. sed hoc diuinare est.

V I A T I C U M , ci , est pecunia illa quæ in viæ sumptus alicui datur. Cicero de senectu. Quo minus viæ restat, eo plus viatici querere. Plinius Cæcilius de Martiale: Prosequutus, inquit, eram viatico sedentem. Inde Viaticulum , paruum viaticum. Apuleius libro septimo de asino: Viaticulum , inquit , mihi corrasī. Vlpianus libro quinto, titulo de iudicijs. l. si longius. Egestate, inquit, Roma laboraret viaticulo suo non recepto quod ad sumptus pater ei destinauerit. Accursius ignorans quid viaticum sit: quod propter impensas, inquit, in scholis datur. quia suprà dixerat, studiorum causa.

V I A T O R E S , inquit Festus, appellabantur qui magistratibus parebant, eo quod plerunque ex agris homines euocabantur à magistratibus , & frequens erat eorum ab agris in urbem via. Plinius libro decimo octavo: Cincinato uiator attulit dictaturam. Tales tunc uiatores erant , quibus id ipsum nomen inditum est subinde ex agris senatum ducesq; accersentibus. Vlpianus titulo de rebus eorum qui sub tutela. l. magis. Dari, inquit, uiatorem qui ei renunciet.

V I C A R I V S seruus, dicitur ille, quem atriensis seruus substituit. Itaque uicarius dicitur serui seruus. Marcialis: Esse sat est seruum, iam nolo uicarius esse. Plautus in asinar. Sticho, inquit, uicario ipsi tuo. cui Leonidas Atricensis respondet: Mihi scio uicariū esse. Vlpianus titulo de legatis tertio. l. seruos. Vicarios seruorum suorum

numero non cōtineri. Idem in titulo de peculio legato. l. si peculium legetur. Recte igitur atque Latine Pontifices appellant se uicarios, hoc est, seruos serui Petri, qui se appellat seruum IESV CHRISTI in suis canonicis. sed Petrus non uicarius CHRISTI, quia non est seruus serui.

VIENNA, ciuitas est Allobrogum in Gallia Narbonensi, cuius meminit Iurisconsultus, titulo de censibus.

VINACIVM, uel uinacius proprie acini semen est. Acinus autē granū uuæ. Cato tamen in libro de re rustica, pro acinis musto exhaustis uinacium posuit. Dolia, inquit, quibus uinacios condat decem habeat. Vlpianus quoque titulo de furtis. l. si quis uxori. Vuarum, inquit, et musti et uinaciorum nomine furti agere potest.

VINDICTA, uirga Prætoris erat, qua seruo imposita illum faciebat liberum. Persius: Vindicta postquam meus à pretore recessi. unde per metonymiam, uindicta pro libertate aliquando. Ouidius de remed. Vindictæ quisque fauete suæ. et ibidem: Optima uindictæ proxima quæque dies. Dicta est autem uindicta à uindicando, hoc est in libertatem asserendo, uel à Vindicio seruo Vitelliorum, qui coniurationem de reddenda urbe Tarquinij patefecit. de quo Liuius libro secundo. et Pomponius de origine iuris. lege, necessarium. Titulus est præterea in libris digestorum, de manumissis uindicta.

VIRIOLAE, armillæ erant ex gemmis margaritisq; auro cælatis, quæ et uiriæ dicebantur. Plinius libro trigesimotertio: Ut habeant quidem in lacertis iam quidem et uiri, quod è Dardanis uenit, atque itaque Dardanium

danium uocabatur, uiriolæ celticæ dicuntur uiriæ celtibericæ, habeant fœminæ in armis digitisq; totis, collo & auribus. Itaque uult Plinius quod Dardanium sit armilla, quoniam à Dardanis uenit, Viriola qua utuntur Celata, id est, Galli: Viria, qua Celtiberi, id est, Hispani. Vopianus titu. de auro & argento legato. l. argu. Armillæ, inquit, uiriolæ, annuli præter signatorios. & infra. l. medico. Lineas duas ex margaritis, & uiriolas ex smaragdis. Paulus de optione & electione leg. l. si tibi. Si ex quatuor, inquit, uiriolis duæ.

VITIS, centurionis gestamen erat, ad fustigandos milites pigre munera sua obeuntes. de qua in uerbo Centurio multa diximus.

VNIONES, dicuntur margaritæ grandiores, dicti ab eo ut Plinius libro nono scribit, quod nulli duo reperiantur indiscreti: unde nomen unionum, inquit, Romanae imposuere deliciae. de auro & argento legato. l. seia. Legauit, inquit, unionē cum hyacinthis, & postea unionem soluit.

VRINATORES, dicuntur qui subter aqua natantes tempore multo continent spiritum, ab eo quod est urino, as, uel urinor, aris. Varro de lingua Latina: Vrnae, inquit, dictæ quod urinant in aqua haurienda. Vrinari enim est in aqua mergi. Plinius libro secundo: Vrinantibus in quamlibet profundam aquarum altitudinem. Idem lib. 9. Has, inquit, urinantum cura capi. Idem libro undecimo: Eadem est causa quare sub aqua diu Ranæ & diu Phocæ urinentur. Callistratus ad legem Rhodiam de iactu. lege, nauis. Merces per urinatores extractæ. Audi som-

nium Accursij: Qui ita, inquit, subtiliter perpendunt et uident sub aqua, sicut medicus per urinam perpendit aegritudinem.

V V L P I A N U S an Vlpianus dici debeat Iurisconsultissimus Alexandri Cæsar is ille assessor, multi dubitant: quæ ambiguitas ex Pandectarum Florentinarum lectione tollitur, in quibus semper Vlpianus per duplex u, alteram consonantem, alteram uocalem scribitur.

## X

**X E N I V M**, interpretatur munus quod hospitibus datur. Nam xenos interpretatur hospes. Vitruvius libro sexto: Primo, inquit, die Græci hospites invitabant ad cœnam, postero mittebant pullos, oua, olera, poma, reliquasq; res agrestes. Ideo pictores qui ea quæ mittebantur hospitibus, picturis imitabantur, xenia appellariunt. Martialis: Omnis in hoc gracili xeniorum turba libello. et sequitur: Hæc licet hospitibus pro munere disticha mittas. Inde per diminutionem xeniolum. Apuleius libro secundo de asino: Mittit byrrhena mihi xeniola, porcum optimum et quinque gallinulas. Vlpianus libro primo, titulo de officio procons. l. solent. Non, inquit, in totum xenijs abstinere debet proconsul. et pau lo post: Quantum ad xenia, inquit, pertinet uetus proverbium est et c.

**X E N O D O C H I V M**, interpretatur hospitium, quod hospitibus et peregrinis publicitus siue priuatim patet. Hieronymus in quadam epistola ad Pammachium: Audit te xenodochiū, in portu fecisse Romano. In codice Iustiniano

stiniano titu. de sacrofancis ecclesijs.l. illud.l. sancimus.  
l. si quis. Item de episcopis & clericis, tum xenodochium,  
tum xenon appellatur.

X E N O P A R O C H V S, is est qui publice munera ho-  
spitibus contribuit, quia xenos hospes interpretatur, &  
parochus tributor. Archadius lib. 50. tit. de muneribus l.  
munerum. Tabularij, inquit, uel xenoparochi ut in qui-  
busdam ciuitatibus.

X E R O L O P H V M, locus erat celebris Bizātij, quæ  
Constantinopolis postea cognominata est. Priscianus li-  
bro primo de octo partibus orationis: Epigrammata, in-  
quit, quæ egomet legi in tripode uetustissimo Apolli-  
nis, qui stat in xerolopho Bizantij scriptus. Idem libr. 6.  
Ostendunt, inquit, epigrāmata uetustissima quæ ex lite-  
ris uetustissimis scripta in multis tripodibus legi, & ma-  
xime in tripode Apollinis, qui est Constantinopoli in  
loco quem Xerolophon uocat. Iustinianus libro quarto  
Institutionū, titulo de publicis iudicijs. Quod nos, inquit,  
telum appellamus, illi telos appellant. admonent, inquit,  
nos epigrammata in Xerolopho scripta. Et sequitur epi-  
gramma Græcum.

X Y S T I C I, dicuntur athletæ, dicti à xysto, qui, ut  
ait Vitruvius libro sexto, est porticus ampla latitudine,  
in qua athletæ per hyberna tempora exercebantur. Sue-  
tonius in augusto: Xysticorum certationes, aut gladia-  
torum pugnas seuerissime semper egit. Idem in Galba: Si  
quid scænici aut xystici donatum olim uendidissent. Vlp.  
ti. de ijs qui notantur infamia. l. athletas. pro eo quod es-  
se debuit, xystici, xefustici corrupte legitur.

## Z

**Z Y T H U M**, potus est quem è frugibus excogitauit Aegyptus. unde à Columella pelusiacum cognominatur in horto, cū dicit, Et pelusiaci prorit et poca zythi. Vlp. ti. de tritico & uino legato. l. si quis. Zythum, inquit, & cætera pro hominum affectione.

**Z O N A**, non tantum pro cingulo accipienda est, sed aliquando etiam pro marsupio & loculis nummorum refertis accipitur. Apuleius lib. 7. de asino: Plotina, inquit, preciosissimis moniliis & auro monetali zonis refertis incincta. Suetonius quoque scribit Vitellium zonam se aureorum plenam circundedisse. Spartianus etiam Pesce nium nigrum Imperatorem iussisse, ne milites in zonis nummos aureos uel argenteos portarent ad bellum. Lampridius quoque Alexandrum Cæsarem dicere solitū ait, Miles non timet, nisi uestitus, calceatus, & satur, & aliquid in zonula habens. Et ferè hæc est consuetudo Hispanorum, ut cingulo bursam escariam applicent, in qua portent nummos. Itaque Saluator noster discipulis interminatur, ne portent zonam. In hoc significatu acceptit Vlp. in titu. de bonis damnatorum. l. diuus. Neque si zonam, inquit, circa se habuerit: protinus aliquis sibi uindicare debebit. Accursius putauit zonam esse cingulum magni precij.

EX

EX OBSERVATIONIBVS  
Aelij Antonij Nebrisensis in li-  
bros Iuris Ciuilis.

DE GLAVCO ET DIOMEDE,  
ACCVRSSI SOMNIVM.



ST IN PRAEFATI ONE DIA=gestorum peroratio Iustiniani Imperatoris in hæc uerba: Incipite igitur legum doctrinam eis Dei gubernatione tradere, & uiam aperire, quam nos inuenimus, quatenus fiant optimi Iustitiae & reipub. ministri, & uos maximum decus in omne æuum sequatur. Quia nostris temporibus talis Legum inuenta est permutatio, qualem apud Homerum patrem omnis uirtutis, Glaucus & Diomedes inter se faciunt dissimilia permutantes. & subdit carmina Homeri sumpta ex 7. Iliados libro, ubi narrat quo pacto in obsidione Troiana Diomedes cum Glauco Hippolochi filio congressus, cœpit ab illo querere quis esset, quibusq; maioribus ortus. Cui Glaucus se Bellerephontis nepotem, Hippolochiq; filium esse respondit. Cumq; Diomedes uetus hospitium Oenei Bellerephontisq; utriusq; auorum fuisse intellige ret, pugna abstinuit, atque ita commutatis armis digresfi sunt, quasi pignus amoris alter alterius reportantes. Fuerunt autem Glauci arma aurea centum bobus aestimata, Diomedis ærea nouem boum. Quod Accurs. nescio quibus furij agitatus, exponens ait: Diomedes cum

rediret per mare à Troiana uictoria, indigebat uino, et inuenit Glaucum iuxta mare abundantem uino et carentem equis, at ipse multos habebat equos, quos in prælio habuerat, et ita dedit illi de equis inutilibus pro uino necessario et utili sibi, et Glaucus dedit uinū superfluum, et accepit equos necessarios, sic et nos fecimus permutationem de inutili modo legendi ad utilem. Hucusq; Accursius. Omitto corruptissimum et mille acyrologijs de prauatum dicendi genus. Vbi legit ille bonus uir hæc historiarum portenta, aut quis illum docuit in rebus quarum ignoratione tenebatur, diuinare? Aliud est enim, ut diuus Hierony. scribit, esse uatem, aliud interpretem: illic spiritus neutra prædicit, hic eruditio et uerborum copia ea quæ intelligit interpretatur. Quod si fuisset Accursio mixtum cum pudore iudicium, aut omnino tacuisse ijs de rebus quas ignorabat, aut ea scriberet quæ de Glauco et Diomede ab autoribus memorie prodita sunt, Homero præsertim, quem Iustinianus citat testem. Quod si Accursius Græcas literas ignorabat, didicisset saltem latinas, in quibus libro primo Sermonum Horatij legeret: Aut si disparibus bellum incidit aut Diomede, Cum Licio Glauco discedat pigror ultiro Muneribus missis. Atq; apud Martialem lib. 9. epigrammaton: Tam stupidus nunquam nec tu puto Glauce fuisti, Chalcea donanti chrysea qui dederas. Aut quoniam Iuris libros interpretabatur, illud saltem quod Aristoteles libr. 5. ethicorum cum de iustitia et iure differeret, scripsit: Volesti, inquit, non fit iniuria, sed qui sua donat, ut Homerus de Glauco scribit, dedisse eum Diomedi arma aurea pro ferreis,

ferreis, centeni precij pro noueni, huic iniuria non fit. Aut imitaretur saltem pudorem sancti Thomæ qui locum illum exponens, nihil tale somniat quale Accursius, sed tantum ab ignorantia interpretis deceptus, dixit accepisse Diomedem centum boues pro nouem, cum Homer dicat arma æstimata precio centum boum, pro armis nouem boum, quod & Pli.lib.33.affert. Quanquam Homer inquit admiratus aurum, æstimationes rerum ita fecit, ut centum boum arma permutasse Glaucum diceret, cum Diomedis armis nouem boū. & hoc est quod Iustinianus dicebat talem permutationem legum antiquarum pro nouis esse factā, qualis fuit Glauci & Diomedis, hoc est, centeni precij pro noueni.

### D E L E G A T I S A T H E N A S miſſis Somnium Accursij.

POMPONIVS lib.primo Digest. sub titulo qui est de origine iuris: Placuit, inquit, publica autoritate decē constitui uiros, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus, ut ciuitas fundaretur legibus quas in tabulis eburneis perscriptas pro rostris composuerunt. Auditte nunc obsecro uos ægrotantis Accursij somnia uana: Ante, inquit, quām hoc fieret, miserunt Græci Romam quendam sapientem, ut exploraret an digni essent Romani legibus, qui cum Romam uenisset, Romani cogitantes quid poterat fieri, quendam stultum ad disputandum cum Græco posuerunt, ut si perderet, tantum deriso esset. Græcus nutu disputare cœpit, & eleuauit unum digitum, unum Deum significans. Stultus credens quod uellet

uellet cum uno oculo deceare, eleuauit duos & cum eis eleuauit etiam pollicem, sicut naturaliter euenit, quasi cæcare eum uellet de utroque. Græcus autem credidit quod trinitatem ostenderet. Item Græcus apertam manum ostendit, ut ostenderet omnia nuda & aperta Deo. Stultus autem timens maxillatam sibi dare, pugnum clausum quasi repercussurus leuauit, Græcus intellectus quod Deus omnia clauderet palma: & sic credens Romanos dignos legibus, recessit. O miserrimam sæculi nostri conditionem, qui hæc audimus & patimur. Ecquis unquam talia deliramenta nisi à mulierculis lanificio intentis audiuit? & non uidet homo perditus non habita ratione temporum & personarum sibi ipsi repugnantia dicere? Quòd si tanta erat illi historia mentiendi libido, at debuit saltem aliquid dicere quod nos falleret. Nunc uero ea per crapulam ructat, quæ nec credent pueri, qui nondum ære lauantur. Nam si quod hoc in loco Pomponius scribit, constat esse factum trecentesimo altero anno ab urbe condita, hoc est, ante natalem Christianum annos circiter quadringentos quinquaginta, quo pacto Græcus & Romanus de trinitate personarum atque unitate substantiæ in diuinis disputare poterat? hoc ne Ezras quidem fecisset, doctissimus illa tempestate legis interpres, nedum homines in falsa deorum gentilium religione occupati. Aut si tam diligens in historia esse uolebat, illud potius annotare debuit, Romanarum rerum scriptores non quod Pomponius scribit creatos esse decem viros per quos leges peterentur, sed cum prius deferendis legibus inter Romanos conueniret, de latore tantum discipient

ptarent missos esse tris legatos Athenas, iussosq; inclitas Solonis leges describere, & aliarū Græciæ ciuitatum instituta moresq; pernoscere. Postea uero quām illi redierunt, creatos decem uiros condendarum legum & iuris dicundi causa. Quod uero Pomponius scribit tabulas fuisse eburneas, Dionysius Halicarnaseus diligentissimus antiquitatum Romanarū scriptor libro nono æreas fuisse memoriae prodidit. Quodq; idem autor scribit tabulas in foro positas, non est diuersum ab eo, quod Pomponius tradit positas esse pro Rostris: nam Rostra templū erat in foro Romano quod placuit exornari Rostris nauium, quas ab Anciatibus acceperant, non ut Accursius delirat pyratarum. Illud uero per quam ridiculū, quod in re manifesta dubitans, pro rostris exponit ante oculos & ora hominum. Ab Hispano, opinor, aliquo id didicerat, quoniam Hispane facies rostro appellatur.

## M V T I V S P R O F A B I V S .

IDEM Pomponius in eodem titulo de origine iuris: Q. inquit, Mutius qui ad Carthaginienses missus legatus, cum essent duæ tesseræ positæ, una pacis, & altera belli, arbitrio sibi dato utram uellet referre Romam, utranq; sustulit, & ait Carthaginienses petere debere utrā mallent accipere. Atqui non Q. Mutius, sed Q. Fabius fuit, qui cum Valerio Flacco missus est Carthaginem legatus, ut nisi Hannibal uiolator fœderis dedetur, bellum Carthaginiensibus indiceret. Hic Fabius, Pamphilus cognominatus est, ad differentiam illius Fabij qui in eodem secundo bello Punico singularem ope-

ram Reipu. nauauit, atque tum maximus, tum uerrico=  
sus, tum ouicula dictus est. Atque ea propemodum Fa=  
bium Pamphilum fecisse coram Carthaginiensibus quæ  
Pomponius refert, autores sunt Polybius, Luius, Plutar=chus. Silius præterea lib. secundo Punicorum:

Non ultra patiens Fabius texisse dolorem,  
Concilium exposcit propere, patribusq; vocatis,  
Bellum se gestare sinu pacemq; profatus.

Quid sedeat legerè, ambiguis neu fallere dictis  
Imperat, at sœuo neutrum renuente senatu  
Ceu clausas acies gremioq; effunderet arma,  
Accipit te infaustum Libyæ euentuq; priori  
Par inquit bellum, & laxos effudit amictus.

T A M insigne mendum non debuit Accursius dissimu= lare, atq; intactum relinquere, ubi non in parte, sed in to= to error committitur. Nam quid habent simile Mutius  
& Fabius? nempe hoc quod Thais & Hermione.

### C O L V M N A R I V M P R O

Colum Niuarium.

P O M P O N I V S Iurisconsultus in lib. dig. tit. de auro  
& argento leg. In argento, inquit, potorio utrum id dun= taxat sit quo bibi posset, an etiam id quod ad præpara= tionem bibendi comparatum est, ueluti columnarium &  
urceoli. Quod uasis genus columnarium sit nullus unquā scripsit, sed neq; legit, præter unum Philippum Beroal= dum, uirum alioqui singulari eruditione, qui ex huius le= gis deceptus lectione, putauit esse poculi genus, & Ac= cursium, qui anglisteriam interpretatur, sic Itali uulgo  
appellant

appellant ampullam uitream longioris colli. Ego uero cum columnarium esse nihil uerbum pro comperto haberem, cœpi mecum recogitare quid columnarij loco substituerem, cum subito fuit mihi præsto Martialis poëta distichon, cuius lemma est, Colum niuariū. Cumq; adhuc subdubitarem, an pro columnario colum niuarium reponerem, legi sequens distichon, cuius index est, Vrceoli ministratorij. Exilui præ nimia lætitia, atq; cœpi mihi ipsi gratulari, quod locum alijs incognitum atque intactum mea diligentia restitui. Quid uero colum niuarium fuerit, reliquum est ut ostendamus. Fuit consuetudo apud maiores nostros, non modo colare uina, ut essent molliora defœcatoriaq; uerū etiam aquam per niues transmittere, quo fieret gustui suauior. Instrumenta uero ad percolandum erant cola minutissimis uiminiibus contexta, aut ex sacco lineo siue cilicino. Virgilius secundo Georg. Tu spisso uimine qualos Colaq; prælorum fumosis diripe tectis. De colatorio sacco Martialis in disticho, cuius lemma est, saccus niuarius: Attenuare niues norunt & linthea nostra, Frigidior colo non salit unda tuo. Plinius decimoquarto: Utilissimum omnibus sacco uiribus fractis. Idem decimonono: Inueterari uima saccisq; castrari. & uigesimotertio libro: Ut plus, inquit, capiamus, sacco frangimus uires. Atque iterum Martialis: Turbida sollicito transmittere cecuba sacco. & Horatius secundo Sermonum: Integrum perdunt lino uitiata saporem. Quod Porphyrius exponit sacco percolata. Cum itaq; Martialis duo disticha continuata scripserit, alterum de colo niuario, alterum de sacco niuario, subdideritq; statim ur-

O

ceolos ministratores, quis non uidet apud Pomponium legendum esse colum niuarium, cum præsertim euestigio sequatur ex urceoli? Quid, quod sensus pulchre coit, atq; satisfacit ei quod uenire potuit in dubitationem, an uide= licet uasorum poteriorū appellatione ueniant uasa qui= bus non bibimus, sed præparantur ordinanturq; ad id quod bibendum est, ut colum & saccus per quæ colantur uina niuesq;, atque præter ea urceoli, quibus uinum & aqua discubentibus ministratur. Non quod Ac= cursius ex Philippus putabant esse uasa po= toria. Esset nanque sensus legis ri= diculus, si dixeris appellatio= ne uasorum potorio= rum uasa po= toria  
contineri.

F I N I S .



# Index rerum quæ

IN HOC IVRIS CIVI-

*lis Lexico continentur.*

## A

<b>A</b>	Bax	pag. 3	Aminæum	ibidem
	Abactores	4	Amurca	16
	Abrogare	5	Anadema	17
	Acapna	6	Analogistæ	ibidem
	Aconitum	7	Angaria	ibidem
	Ad præpositio	ibidem	Animaduerto	ibid.
	Addico	8	Ancones	18.
	Adrogare	9	Anniculus	ibidem
	Adulterina	10	Annona	ibidem
	Aedicula	11	Annua	19
	Aestimo	ibid.	Antiades	ibidem
	Agnus	12	Antidorum	20
	Agrippinensis	ibid.	Antidotum	ibidem
	Agonotheta	ibid.	Antinomia	ibidem
	Album	13	Antoninus & Seuerus	21
	Algidum	ibidem	Apocha	ibidem
	Allego	14	Apolides	ibidem
	Alueus	ibidem	Apostoli	ibidem
	Ambitus	ibidem	Apparitores	ibidem
	Amphora	15	Appendicius	22

I N D E X.

<i>Aquiminarium</i>	22	<i>Biblius</i>	<i>ibidem</i>
<i>Arcarius</i>	<i>ibidem</i>	<i>Bibliotheca</i>	33
<i>Archiatros</i>	23	<i>Bidens</i>	<i>ibidem</i>
<i>Archigeron</i>	<i>ibidem</i>	<i>Bini</i>	<i>ibidem</i>
<i>Archigubernius</i>	<i>ibidem</i>	<i>Bissexturnus</i>	34
<i>Archimandrita</i>	<i>ibidem</i>	<i>Byssicus</i>	<i>ibidem</i>
<i>Archimimus</i>	24	<i>Bombycinus</i>	35
<i>Architectus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Bona</i>	<i>ibidem</i>
<i>Area</i>	25	<i>Bractearius</i>	<i>ibidem</i>
<i>Arelatensis</i>	<i>ibidem</i>	<i>Brephotrophium</i>	36
<i>Arena</i>	<i>ibidem</i>	<i>Bubulcus</i>	<i>ibidem</i>
<i>Areseusa</i>	26	<i>Buccinum</i>	<i>ibidem</i>
<i>Argentarius</i>	<i>ibidem</i>	<i>Buprestis</i>	37
<i>Armentum</i>	<i>ibidem</i>	<i>Burdo</i>	<i>ibidem</i>
<i>Armilla</i>	<i>ibidem</i>		C
<i>Arra</i>	27	<b>C</b> <i>Aballus</i>	37
<i>Artemo</i>	<i>ibidem</i>	<b>C</b> <i>Cacabus</i>	38
<i>Assessores</i>	28	<i>Caducum</i>	<i>ibidem</i>
<i>Athleta</i>	<i>ibidem</i>	<i>Cædus</i>	<i>ibidem</i>
<i>Atrienses</i>	<i>ibidem</i>	<i>Cæmentum</i>	39
<i>Attellanus</i>	29	<i>Caius</i>	<i>ibidem</i>
<i>Autorare</i>	<i>ibidem</i>	<i>Calata</i>	<i>ibidem</i>
<i>Aurum</i>	30	<i>Calcaria</i>	40
	B	<i>Calculator</i>	<i>ibidem</i>
<b>B</b> <i>Aluca</i>	30	<i>Calendarium</i>	<i>ibidem</i>
<i>Bannum</i>	31	<i>Caligatus</i>	41
<i>Bapheus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Camelasia</i>	42
<i>Bastagarij</i>	32	<i>Cannabis</i>	<i>ibidem</i>
<i>Berytos</i>	<i>ibidem</i>	<i>Cancelli</i>	<i>ibidem</i>

# I N D E X.

<b>Cancello</b>	43	<b>Charta</b>	<i>ibidem</i>
<b>Cantharis</b>	<i>ibidem</i>	<b>Chirographum</b>	53
<b>Cantharus</b>	<i>ibidem</i>	<b>Choma</b>	<i>ibidem</i>
<b>Capitale</b>	44	<b>Chrissamos</b>	54
<b>Capitium</b>	<i>ibidem</i>	<b>Cidonium malum</b>	<i>ibidem</i>
<b>Capitulum</b>	<i>ibidem</i>	<b>Cymbium</b>	<i>ibidem</i>
<b>Capsarij</b>	45	<b>Cilicum</b>	<i>ibidem</i>
<b>Careum</b>	<i>ibidem</i>	<b>Cingere</b>	55
<b>Carrum</b>	45	<b>Circeiensis</b>	<i>ibidem</i>
<b>Carthaginienses</b>	<i>ibidem</i>	<b>Circenses ludi</b>	<i>ibid.</i>
<b>Caſſiopa</b>	46	<b>Circitores</b>	56
<b>Castellum</b>	<i>ibidem</i>	<b>Circulatores</b>	<i>ibid.</i>
<b>Catadromus</b>	47	<b>Circunscribere</b>	57
<b>Cauma</b>	<i>ibidem</i>	<b>Circunuenire</b>	<i>ibidem</i>
<b>Cauillatio</b>	<i>ibidem</i>	<b>Cisterna</b>	<i>ibidem</i>
<b>Caupo</b>	<i>ibidem</i>	<b>Citreæ mensæ</b>	58
<b>Causarij</b>	48	<b>Clandestinus</b>	<i>ibidem</i>
<b>Causor</b>	<i>ibidem</i>	<b>Clauſus</b>	<i>ibidem</i>
<b>Cauterium</b>	<i>ibidem</i>	<b>Clauſus morbus</b>	59
<b>Cedere diem</b>	49	<b>Cliuosa loca</b>	<i>ibidem</i>
<b>Cellarium</b>	<i>ibidem</i>	<b>Cloaca</b>	<i>ibidem</i>
<b>Cenotaphium</b>	<i>ibidem</i>	<b>Coalluere</b>	60
<b>Censeo</b>	50	<b>Coccum</b>	<i>ibidem</i>
<b>Centones</b>	<i>ibidem</i>	<b>Cœliaci</b>	61
<b>Centurio</b>	51	<b>Cœmiterium</b>	<i>ibidem</i>
<b>Certamen</b>	<i>ibidem</i>	<b>Cœnaculum</b>	<i>ibidem</i>
<b>Certiorem facere</b>	<i>ibid.</i>	<b>Cœtus</b>	<i>ibidem</i>
<b>Ceruifa</b>	52	<b>Collegium</b>	<i>ibidem</i>
<b>Character</b>	<i>ibidem</i>	<b>Colludere</b>	62

I N D E X.

<i>Colum niuārium</i>	<i>ibidem</i>	<i>Crinale</i>	<i>ibidem</i>
<i>Comes</i>	63	<i>Cucuma</i>	<i>ibidem</i>
<i>Comitia</i>	<i>ibidem</i>	<i>Culleus</i>	72
<i>Commeatus</i>	<i>ibid.</i>	<i>Cuppa</i>	<i>ibid.</i>
<i>Commatalis</i>	64		<b>D</b>
<i>Commentum</i>	<i>ibid.</i>	<b>D</b> <i>Actylotheca</i>	73
<i>Commentariensis</i>	<i>ibid.</i>	<i>Damno</i>	<i>ibi.</i>
<i>Committere</i>	65	<i>Daphnensis</i>	<i>ibidem</i>
<i>Commune</i>	<i>ibidem</i>	<i>Dardanarius</i>	74
<i>Compendium</i>	<i>ibid.</i>	<i>Decedere</i>	<i>ibid.</i>
<i>Competenter</i>	<i>ibid.</i>	<i>Decido</i>	<i>ibidem</i>
<i>Compilare</i>	66	<i>Decisio</i>	75
<i>Compingere</i>	<i>ibidem</i>	<i>Decoctores</i>	<i>ibidem</i>
<i>Concameratio</i>	<i>ibid.</i>	<i>Decuriones</i>	<i>ibidem</i>
<i>Conclave</i>	<i>ibidem</i>	<i>Deditij</i>	76
<i>Concinnare</i>	67	<i>Definio</i>	<i>ibidem</i>
<i>Conditura</i>	<i>ibidem</i>	<i>Defrutum</i>	<i>ibid.</i>
<i>Congiarium</i>	<i>ibidem</i>	<i>Deglabrare</i>	77
<i>Contignatio</i>	<i>ibid.</i>	<i>Delator</i>	<i>ibidem</i>
<i>Continens</i>	68	<i>Delibrare</i>	<i>ibidem</i>
<i>Conturbo</i>	<i>ibidem</i>	<i>Delphi</i>	<i>ibidem</i>
<i>Corbis</i>	<i>ibidem</i>	<i>Delphicæ mensæ</i>	<i>ibidem</i>
<i>Corinthium æs</i>	69	<i>Deminuo</i>	78
<i>Corpus</i>	<i>ibid.</i>	<i>Demolior</i>	<i>ibid.</i>
<i>Corradere</i>	70	<i>Deni</i>	<i>ibid.</i>
<i>Corriuales</i>	<i>ibidem</i>	<i>Depectus</i>	79
<i>Cotidie</i>	<i>ibid.</i>	<i>Deserere</i>	<i>ibidem</i>
<i>Cotoria</i>	<i>ibidem</i>	<i>Desidero</i>	<i>ibidem</i>
<i>Cretæfodina</i>	71	<i>Diæta</i>	80

I N D E X.

<b>Diathetum</b>	<i>ibidem</i>	<b>Emplastrum</b>	<i>ibid.</i>
<b>Dienses</b>	<i>si</i>	<b>Epidemitici</b>	<i>90</i>
<b>Diffundere</b>	<i>ibidem</i>	<b>Episcopus</b>	<i>ibidem</i>
<b>Diffundi</b>	<i>ibidem</i>	<b>Epistomium</b>	<i>ibidem</i>
<b>Digitus</b>	<i>82</i>	<b>Epitome</b>	<i>ibidem</i>
<b>Diœcesis</b>	<i>ibidem</i>	<b>Epulum</b>	<i>91</i>
<b>Diplomata</b>	<i>ibidem</i>	<b>Eremodicium</b>	<i>ibid.</i>
<b>Dispungere</b>	<i>83</i>	<b>Ergasterium</b>	<i>ibid.</i>
<b>Disſidium</b>	<i>ibidem</i>	<b>Errones</b>	<i>ibidem</i>
<b>Distrahere</b>	<i>ibidem</i>	<b>Etiam</b>	<i>92</i>
<b>Diuortium</b>	<i>84</i>	<b>Etiamnum</b>	<i>ibidem</i>
<b>Dolium</b>	<i>ibidem</i>	<b>Euestigio</b>	<i>ibidem</i>
<b>Dolones</b>	<i>ibidem</i>	<b>Exacta</b>	<i>ibidem</i>
<b>Donaria</b>	<i>85</i>	<b>Exaggerare</b>	<i>93</i>
<b>Duracimæ</b>	<i>ibidem</i>	<b>Exautorare</b>	<i>ibid.</i>
	<b>E</b>	<b>Exconsul</b>	<i>ibidem</i>
<b>Editus</b>	<i>85</i>	<b>Exemptilis</b>	<i>94</i>
<b>Effringere</b>	<i>ibidem</i>	<b>Expungere</b>	<i>ibid.</i>
<b>Electri genera</b>	<i>86</i>	<b>Extricare</b>	<i>ibidem</i>
<b>Elenchus</b>	<i>ibidem</i>		<b>F</b>
<b>Elogium</b>	<i>87</i>	<b>F Alx</b>	<i>94</i>
<b>Elusco</b>	<i>ibid.</i>	<b>F Familia</b>	<i>95</i>
<b>Emansor</b>	<i>88</i>	<b>Ferruminare</b>	<i>ibid.</i>
<b>Emblemata</b>	<i>ibidem</i>	<b>Figlina</b>	<i>ibidem</i>
<b>Emeriti</b>	<i>ibidem</i>	<b>Fiscus</b>	<i>96</i>
<b>Emerita</b>	<i>ibidem</i>	<b>Flauius</b>	<i>ibidem</i>
<b>Emiseni</b>	<i>89</i>	<b>Fomenta</b>	<i>97</i>
<b>Emphyteosis</b>	<i>ibid.</i>	<b>Forma</b>	<i>ibidem</i>
<b>Emphracta</b>	<i>ibid.</i>	<b>Fugitiuus</b>	<i>ibidem</i>

I N D E X.

<b>F</b> ulcimentum	<i>ibid.</i>	<b>I</b> mpostores	<i>ibidem</i>
<b>F</b> utura	98	<b>I</b> nauris	106
<b>F</b> ullo	<i>ibidem</i>	<b>I</b> nciles	<i>ibidem</i>
<b>F</b> undus	<i>ibidem</i>	<b>I</b> ncrastare	<i>ibidem</i>
<b>G</b>			
<b>G</b> Arum	99	<b>I</b> nduc <i>æ</i>	<i>ibidem</i>
<b>G</b> enius	<i>ibid.</i>	<b>I</b> nducere	<i>ibidem</i>
<b>G</b> ermanicus	<i>ibidem</i>	<b>I</b> nficiatio	108
<b>G</b> ymnasium	100	<b>I</b> n <i>ſt</i> itor	<i>ibidem</i>
<b>G</b> lans	<i>ibid.</i>	<b>I</b> nsula	<i>ibid.</i>
<b>G</b> larea	<i>ibidem</i>	<b>I</b> nterpolare	109
<b>G</b> laucinum	101	<b>I</b> ntertritura	<i>ibid.</i>
<b>G</b> rammatophylaciū	<i>ibid.</i>	<b>I</b> renarcha	<i>ibidem</i>
<b>G</b> rassari	<i>ibidem</i>	<b>I</b> sauri	110
<b>G</b> utturosus	<i>ibidem</i>	<b>I</b> ſostates	<i>ibidem</i>
<b>H</b>			
<b>H</b> amus	102	<b>L</b>	
<b>H</b> arpagones	<i>ibid.</i>	<b>A</b> brum	110
<b>H</b> ercisco	<i>ibidem</i>	<b>L</b> acertus	111
<b>H</b> ermaphroditus	<i>ibid.</i>	<b>L</b> acun <i>æ</i>	<i>ibidem</i>
<b>H</b> ydromeli	103	<b>L</b> apis	<i>ibid.</i>
<b>H</b> ierophylax	<i>ibidem</i>	<b>L</b> aser	112
<b>H</b> ierapolis	<i>ibidem</i>	<b>L</b> atus clauus	<i>ibid.</i>
<b>H</b> ypocaustum	<i>ibid.</i>	<b>L</b> autica	<i>ibidem</i>
<b>H</b> ypothecca	104	<b>L</b> axamentum	113
<b>H</b> orreum	<i>ibidem</i>	<b>L</b> ectica	<i>ibidem</i>
<b>I</b>			
<b>I</b> Anthinus	105	<b>L</b> ecticarius	<i>ibid.</i>
<b>I</b> lienses	<i>ibidem</i>	<b>L</b> iberi	114
		<b>L</b> ibertinus	<i>ibidem</i>

# I N D E X.

<b>L</b> ibitinarius	<i>ibidem</i>	Metator	122
<b>L</b> ibrarius	115	Metaxa	<i>ibidem</i>
<b>L</b> icitor	<i>ibid.</i>	Metrocomia	<i>ibidem</i>
<b>L</b> ictores	<i>ibidem</i>	Metropolis	123
<b>L</b> igna	116	Miliarium	<i>ibidem</i>
<b>L</b> igusticum	<i>ibidem</i>	Miniculator	<i>ibidem</i>
<b>L</b> iminarcha	<i>ibid.</i>	Molior	<i>ibidem</i>
<b>L</b> imitanei	<i>ibidem</i>	Mola	124
<b>L</b> inea margaritarum	117	Meniana	<i>ibidem</i>
<b>L</b> ytos	<i>ibid.</i>	Meritorium	125
<b>L</b> ogista	<i>ibidem</i>	Modus, & Modulus	<i>ibid.</i>
<b>L</b> ogographus	<i>ibid.</i>	Mulsum	126
<b>L</b> oricatio	<i>ibid.</i>	Mundus	<i>ibidem</i>
<b>L</b> udicus	118	Munimentum	<i>ibidem</i>
<b>L</b> ugdunensis colonia	<i>ibid.</i>	Murileguli	<i>ibidem</i>
<b>L</b> udus literarius	<i>ibidem</i>	Muria	127
<b>L</b> uscus	<i>ibidem</i>	Murrha	<i>ibidem</i>
<b>L</b> ustramentum	119		<b>N</b>
	<b>M</b>		
<b>M</b> agister	119	<b>N</b> atales	127
<b>M</b> alleatus	<i>ibid.</i>	Negocium	128
<b>M</b> alobathrum	<i>ibid.</i>	Nomen	<i>ibidem</i>
<b>M</b> andragora	120	Non	<i>ibidem</i>
<b>M</b> ango	<i>ibid.</i>	Nosocomion	<i>ibidem</i>
<b>M</b> appa	<i>ibid.</i>	Notarius	129
<b>M</b> ateria	121		<b>O</b>
<b>M</b> ediastinus	<i>ibid.</i>	<b>O</b> bsidianus	129
<b>M</b> ereo	<i>ibidem</i>	Obsonatores	130
<b>M</b> etalla	<i>ibidem</i>	Odysea	<i>ibidem</i>
		Oenomeli	<i>ibidem</i>
			O 5

I N D E X.

<i>Olitor</i>	<i>ibidem</i>	<i>Periurare</i>	139
<i>Opera</i>	131	<i>Pellex</i>	<i>ibidem</i>
<i>Opitographa</i>	<i>ibidem</i>	<i>Penaria cella</i>	<i>ibidem</i>
<i>Orichalcum</i>	<i>ibidem</i>	<i>Penus</i>	<i>ibidem</i>
<i>Orcinius</i>	132	<i>Penes</i>	140
<i>Orphanotrophium</i>	<i>ibid.</i>	<i>Peniculus</i>	<i>ibidem</i>
P		<i>Perduelles</i>	<i>ibidem</i>
<b>P</b> <i>Aegma</i>	132	<i>Pergula</i>	141
<i>Paganus</i>	133	<i>Pharmacum</i>	<i>ibidem</i>
<i>Pancratium</i>	<i>ibidem</i>	<i>Philyra</i>	<i>ibidem</i>
<i>Pandecta</i>	<i>ibidem</i>	<i>Philippi</i>	142
<i>Pannicularia</i>	134	<i>Pistrinum</i>	<i>ibidem</i>
<i>Pantomimus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Pityocampe</i>	<i>ibidem</i>
<i>Papyrus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Plagæ</i>	<i>ibidem</i>
<i>Paranymphi</i>	135	<i>Plagiarius</i>	<i>ibidem</i>
<i>Parapherna</i>	<i>ibidem</i>	<i>Polio</i>	143
<i>Parephippius</i>	<i>ibidem</i>	<i>Polyposus</i>	<i>ibidem</i>
<i>Parochus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Polinctores</i>	<i>ibidem</i>
<i>Parœcos</i>	136	<i>Popina</i>	144
<i>Paropsis</i>	<i>ibidem</i>	<i>Postliminium</i>	<i>ibidem</i>
<i>Passum</i>	<i>ibidem</i>	<i>Præses</i>	<i>ibidem</i>
<i>Pastinare</i>	137	<i>Præmatura</i>	<i>ibidem</i>
<i>Pater</i>	<i>ibidem</i>	<i>Prætorium</i>	145
<i>Peculatus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Pridie</i>	146
<i>Peculium</i>	<i>ibidem</i>	<i>Primipilus</i>	<i>ibidem</i>
<i>Pecunia</i>	138	<i>Principia</i>	<i>ibidem</i>
<i>Pecus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Priuilegiarius</i>	147
<i>Pedamentum</i>	<i>ibidem</i>	<i>Procurator</i>	<i>ibidem</i>
<i>Pedules</i>	<i>ibidem</i>	<i>Promercalia</i>	148

I N D E X.

<b>P</b> rolistæ		<i>ibidem</i>	Sacrum	<i>ibidem</i>
<b>P</b> romptuarium		<i>ibidem</i>	Sagarius	<i>ibidem</i>
<b>P</b> romulsidarium		149	Sagmen	157
<b>P</b> roretæ		<i>ibidem</i>	Salgama	<i>ibidem</i>
<b>P</b> roscænium		<i>ibidem</i>	Saliens	158
<b>P</b> roscindere		<i>ibidem</i>	Salictum	<i>ibidem</i>
<b>P</b> rothyrum		150	Saligneus	159
<b>P</b> rotocolon		<i>ibidem</i>	Saltuarius	<i>ibidem</i>
<b>P</b> roxeneta		<i>ibidem</i>	Salustiani horti	<i>ibidem</i>
<b>P</b> ublicanorum ordo		151	Sapa	<i>ibidem</i>
<b>P</b> ulmentarium		<i>ibidem</i>	Sarcinatores	160
<b>P</b> ustulatum argentum ibi.			Sarcophagus	<i>ibid.</i>
<b>Q</b>				
<b>Q</b> alli		152	Sardonyx	161
<b>Q</b> uini		<i>ibidem</i>	Sarmatæ	<i>ibidem</i>
<b>R</b>				
<b>R</b> efigere		152	Satricum	<i>ibidem</i>
<b>R</b> epetundarum		153	Scæna	<i>ibidem</i>
<b>R</b> eplumbari		<i>ibidem</i>	Scæua	162
<b>R</b> esipiscere		154	Scandularius	<i>ibidem</i>
<b>R</b> heda		<i>ibidem</i>	Scapha	<i>ibidem</i>
<b>R</b> iuales		<i>ibidem</i>	Scaphium	163
<b>R</b> ogatio		<i>ibidem</i>	Scortum	<i>ibidem</i>
<b>R</b> ubrica		155	Scrupulus	<i>ibidem</i>
<b>R</b> uder		<i>ibidem</i>	Scrupulosus	164
<b>S</b>				
<b>S</b> accarius		155	Sebastani	<i>ibidem</i>
<b>S</b> accus		<i>ibidem</i>	Secundum	<i>ibidem</i>
<b>S</b> accularius		156	Sedularium	<i>ibidem</i>
			Selinis	165

I N D E X.

<i>Sella</i>	165	<i>Stypteria</i>	<i>ibidem</i>
<i>Semis</i>	<i>ibidem</i>	<i>Stipulor</i>	<i>ibidem</i>
<i>Semisses</i>	165. & seq.	<i>Stola</i>	176
<i>Septa</i>	167	<i>Stragulus</i>	<i>ibidem</i>
<i>Septum</i>	168	<i>Stramenta</i>	<i>ibidem</i>
<i>Seria</i>	<i>ibidem</i>	<i>Strobulus</i>	177
<i>Sericum</i>	<i>ibidem</i>	<i>Subdisiunctua coniunctio</i>	
<i>Sescuncia</i>	<i>ibidem</i>	<i>ibidem</i>	
<i>Sestertius</i>	169	<i>Subgrundæ</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sycomorus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Subsellium</i>	178
<i>Sigillum</i>	170	<i>Subsistō</i>	<i>ibidem</i>
<i>Signator</i>	<i>ibidem</i>	<i>Substruere</i>	179
<i>Signinus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Succinum</i>	<i>ibidem</i>
<i>Siliginarius</i>	<i>ibidem</i>	<i>Suggillo</i>	<i>ibidem</i>
<i>Synthesis</i>	171	<i>Supellex</i>	<i>ibidem</i>
<i>Si quis</i>	<i>ibidem</i>	<i>Superficies</i>	180
<i>Sisto</i>	<i>ibidem</i>		<b>T</b>
<i>Situla</i>	<i>ibidem</i>	<b>T</b> <i>Antisper</i>	180
<i>Situs</i>	172	<b>T</b> <i>Tectorium</i>	181
<i>Smyrna</i>	<i>ibidem</i>	<i>Telum</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sodales</i>	<i>ibidem</i>	<i>Temporaria res</i>	182
<i>Solidus</i>	173	<i>Tepidarium</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sphæristerium</i>	<i>ibidem</i>	<i>Tessera</i>	<i>ibidem</i>
<i>Spica nardi</i>	<i>ibidem</i>	<i>Theriaca</i>	183
<i>Spurco</i>	<i>ibidem</i>	<i>Thymelicus</i>	<i>ibidem</i>
<i>Spurius</i>	<i>ibidem</i>	<i>Thlasiae</i>	184
<i>Stabularius</i>	174	<i>Tyberius Cæsar</i>	<i>ibidem</i>
<i>Statio</i>	<i>ibidem</i>	<i>Tympanium</i>	185
<i>Stellionatus</i>	175	<i>Tyrus</i>	<i>ibidem</i>

# I N D E X.

<i>Toga</i>	<i>ibidem</i>	<i>Vespidones</i>	<i>ibidem</i>
<i>Tomentum</i>	186	<i>Vestiarium</i>	196
<i>Topiarius</i>	187	<i>Veterator</i>	<i>ibidem</i>
<i>Toral</i>	188	<i>Veterinarius</i>	<i>ibidem</i>
<i>Traianopolis</i>	<i>ibidem</i>	<i>Viaticum</i>	197
<i>Traiectitia</i>	<i>ibidem</i>	<i>Viatores</i>	<i>ibidem</i>
<i>Trapetum</i>	<i>ibidem</i>	<i>Vicarius</i>	<i>ibidem</i>
<i>Trapezophorum</i>	189	<i>Vienna</i>	198
<i>Trierarchus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Vinacium</i>	<i>ibidem</i>
<i>Trietericus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Vindicta</i>	<i>ibidem</i>
<i>Trini</i>	190	<i>Viriolæ</i>	<i>ibidem</i>
<i>Triphus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Vitis</i>	199
<i>Troclea</i>	191	<i>Vniones</i>	<i>ibidem</i>
<i>Trozimos</i>	<i>ibidem</i>	<i>Vrinatores</i>	<i>ibidem</i>
<i>Trulla</i>	<i>ibidem</i>	<i>Vulpianus</i>	200
<i>Tubus</i>	<i>ibidem</i>		<b>X</b>
	<b>V</b>		
<b>V</b> <i>Adimonium</i>	192	<b>X</b> <i>Enium</i>	200
<i>Valesij</i>	<i>ibidem</i>	<i>Xenodochium</i>	<i>ibid.</i>
<i>Valetudo</i>	193	<i>Xenoparochus</i>	201
<i>Varus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Xerolophum</i>	<i>ibidem</i>
<i>Venaliciarius</i>	194	<i>Xystici</i>	<i>ibidem</i>
<i>Veneficus</i>	<i>ibidem</i>		<b>Z</b>
<i>versicolor</i>	195	<b>Z</b> <i>Ythum</i>	202
		<i>Zona</i>	<i>ibidem</i>

F I N I S.

Lugduni,  
EXCVDEBAT IOAN-  
NES BARBOVS, ALIA'S,  
LE NORMAND

---

M. D. XXXVII.





# LUGGIMI.

LE 2000







1/1

N E B R I  
L E X . R I

15779

© 2011 Real A